













1748.

1. Bastineller, Febr. Christianus: Ord. jur. ... Decanus; Cectors  
honoris s. p. d. (ad deputacionem in aeg. Palatinus  
Ernsti Loescheri invitatus)
2. Chledemius, Ernestus Martinus: Abusum bulles Breton  
hinc ad, Neustrantem p. cis Westphalens RAIX. § 7.  
actorum imperii publicorum ... edisseret.
3. Crelles, Christophorus Ludovicus: Ord. jur. ... Decanus;  
Lecturis s. p. d. (ad deputacionem Adami Galtredii  
Rafferi invitatus)
- 4<sup>at</sup> = Crelles, Christoph. Ludov.: De adaptione in locum  
fratris non in vestros. 2 Tract.
5. <sup>ausp</sup>Wrausius, Georg. Fredericus: De pecunia a pupillo  
sine tutoris auctoritate soluta Janus creatoris  
parentis.
6. Leyser, Augustinus, a: De securitate alere
7. Leyser, Augustinus, a: De furtivum Justiniani contra  
abductoros suscipit



8. Leyser, Augustinus, a: De posthumeo amiculo seu  
suo decemostri
9. Leyser, Augustinus, a: De praesumptione Muciana.
10. Leyser, Augustinus, a: De citatione symbolica per  
litteram fissam Kerckholz, Borgholz.
11. Leyser, Augustinus, a: De tutela culpabili
12. Leyser, Augustinus, a: De falsis, quae bona mente  
committuntur
13. Leyser, Augustinus, a: De probatione caeteri per testi-  
monium mortuorum
14. Leyser, Augustinus, a: De fidei honorum.
15. Somtey, Jo. Christian: De duplici prudentia, quae requiritur  
et mirabitur optime necessarioque nexu.
16. Welker, Joannes Georgius: De quinquennialibus et  
decennialibus Imperatorum Romanorum
- 17<sup>a</sup>. Weidler, Jo. Fidericus: De via curva Mercurii observata  
in rectam convertenda exemplo transitu Mercurii de  
solem d. 5. Nov. A. 1743.

17<sup>b</sup> Weidler - Schenffer [ms. Tischblatt]

17<sup>c</sup> Wernsdorf - Acoluthos.



18. Wernsdorf, Jr. Christianus: De Hypotheca philosophica Henr.  
Irina - - - [ nur die 4. S. 160. ]

1749.

1. Crollius, Christoph Ludov: De thesauro a mercenariis  
invento
2. Crollius, Christoph Ludov: De jure optionis maxime in  
debitis alternativis
3. <sup>2<sup>o</sup></sup> Crollius, Christoph Ludov: De thesauro a mercenariis  
aut fabricis occultato 2 Frankl.
4. Crollius Christoph Ludov: De delictis quibus honestum  
institium fit.
5. Hedlerus, Joannes Christianus: Positiones de natura  
et insula cambiorum.
6. Hedlerus, Jr. Christianus: Positiones de natura cam-  
biorum.
7. Hedlerus, Joannes Christianus: De jure nuerus. Vom  
Rechte eines Lehensigen - Tochter.
8. Krausius, Georgius Fridericus: De potestate appellandi  
judicem a sententia arbitri



9. Kraunus, Georgius Ferdinicus. Observationes de  
insule actiois Publicianae
  10. Lysen, Augustinus, a. : De pugnis iureconsultorum
  11. Lysen Augustinus : a. : De licita iudicis correptione
  12. Lysen, Augustinus, a. : De conatu beneficii
  13. Lysen, Augustinus, a. : De iureconsulto Disputatore
  14. Lysen, Augustinus a. : De necessariis in legibus.  
interpretandi circumspactione
  15. Rivinus, Andreas Florianus. De praerogativa creditorum  
contributum pro chirographariis
- Ab Triller.



5  
1748 29/6

OBSERVATIONES  
DE  
ADOPTIONE  
IN LOCVM FRATRIS  
NON MONSTROSA

AD L. LVIII. §. I. D. DE HERED. INSTIT.

QVAS  
PRAESIDE  
CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIO ICTO  
POTENTISSIMI REGIS POL. ET PRINC. ELECT. SAX  
CONSILIARIO AVLICO DIGEST. VET. P.P. ORDINARIO  
CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS  
ITEMQVE ORDINIS IVRIDICI  
ASSESSORE

IN AVDITORIO ICTORVM  
AD DIEM SEPTEMBRIS  
A. Q. S. P. EST CIOIOCCXXXVIII  
DEFENDET

CHRISTIANVS AVGVSTVS STEMPEL  
BVDISSA LVSATVS

VITEMBERGAE  
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA

1755

(7)



DE OBSERVATIONIBUS  
 AD OPTIUM  
 IN LOCVM FRATRI  
 NON MONASTROS

AD L. VIII. §. 1. DE HERED. INSTIT.  
 OBSERVATIONES  
 FRATRIS  
 CHRISTOPH. LYDII  
 POTENTISSIMI RINIS POL. ET BRUN. ELECT. SAC.  
 CONSILIIARI AV. O. HESST. ET AL. V. V. V.  
 CURAB. SENS. O. V. V. V. V. V.  
 ILLM. SENS. O. V. V. V. V. V.  
 ASSIS. O. V. V. V. V. V.  
 IN ADDITIONE  
 AD D. V. V. V. V. V. V. V.  
 A. O. S. N. EST. V. V. V. V. V. V. V.  
 CHRISTIANVS AVGVSTVS STANFEL  
 BVSSIA LYBAVA  
 NYDERSBURG  
 EX OFFICINA REGIA V. V. V. V. V.







L. LVIII. §. I. D. de Hered. instit.

PAVLLVS L.III. ad VITELLIVM

**Q**ui FRATER non est, si FRATERNA CARITATE DILIGITVR, recte, cum nomine suo, SVB APPELLATIONE FRATRIS, HERES INSTITVITVR

A 2

I EST



## IV

## DE ADOPTIONE

## I

EST HOMINVM INTER SE QVAEDAM COGNATIO  
EFFICACISSIMAE BLANDITIAE COGNOMINA AMICORVM  
EX IVRE SANGVINIS DEDVCTA  
HINC EXTRANEIS ETIAM ACCOMMODANTVR  
NOMINA PATRV, FILIORVM, FRATRVM  
ET SORORVM

**C**VM durare et coli atque ornari haec societas bonorum, ad quam ab ipsa natura procreati sumus, non possit, nisi, diuino quodam consilio, insiti essent animis nostris amores quidam et igniculi, quibus mutuuum inter nos studium et communis beneuolentia accenderetur, ut tot incommoditates et taedia humanae uitae, quae homini ab homine subinde afferuntur, dulcedine quadam ac iucunditate temperentur et emolliantur

COGNATIO quaedam, quod FLORENTINVS ait, l. 3. *D. de iust. et iur.* inter nos constituta est, quae prohibeat, hominem homini insidiari, seu, quod ille apud QVINCTILIANVM praedicat,<sup>a</sup> PVBLICA omnium mortalium sub uno parente naturae COGNATIO est, ut propter communes originis non tam plures focii, quam plura esse membra unius corporis, per quae VNVS duntaxat SPIRITVS diuisus fit,<sup>b</sup> adeoque uno quasi spiritu regi, uideamur

ENIM

<sup>a</sup>) Quinctilianus Declam. IX. c. 15

<sup>b</sup>) Quinctil. Declam. 321



ENIM uero, nisi uel sola necessitas homines inter se ita coniungeret et conglutina- ret, ut carere sociorum ope omnino nequeamus; ipsa recordatio communis causae, ex qua uitam hanc traximus, ipsa communitas primordiorum, homines inter se copulat et connectit, ut homini, qui hominem laedere audeat, illa, quaecumque est, PIETAS obsistat et manus quasi obiiciat, ne, dum saeuire uult in socium, ipse sibi oculos effodere et suas manus in sua uiscera armare censeatur. <sup>a</sup> Quorum rerum cogitatione efficitur, ut socios, quos nostri similes esse, et ex eadem origine nobiscum descendisse nouimus, contemnere ne audeamus, sed illa magnificiamus in aliis, quae in nobis ipsis improbare non possumus, ideoque eos omnes, qui nostri generis fuerint, necessitudine quadam nobiscum coniunctos et amicitiae colendae causa factos et ab ipsa natura nobis oblatos esse, iudicemus. Haec est MEMORIA ILLA HVMANAE CONDITIONIS, quam MODESTINVS l. 27. D. *de Condit. Inst.* collaudauit, et quae nos admonere debet, ne in ipsis etiam de mortuorum reliquiis condendis indignitatem quandam admittamus, sed iniuriam illis illatam, propter sanguinis conjunctionem ad nos ipsos pertinere arbitremur

ARCANA autem illa VIS NATVRAE ET SANGVINIS, cum animos nostros tunc tanto fortius ad eundas societates trahat et commoueat, quanto PROPIVS ipsa COGNATIONE naturae nos inuicem attingimus, et quando minus sanguinis alieni nostris originibus admixtum est, ut quasi GEMINI ET IDEM esse, et solo numero atque appellatione inter nos discerni, uideamur; amoris et studii maioris significandi gratia inualuit, ut etiam EXTRANEOS atque longius remotos, si diligamus ardentius, quasi PROPINQVITATE CONIUNCTOS, et ex eadem stirpe progenitos, sub NOMINE QVODAM COGNATIONIS et CON-

A 3

SAN-

<sup>a</sup>) Quintilianus Declam. 321



VI DE ADOPTIONE

SANGVINITATIS ADSCISCAMVS. <sup>a</sup> Quippe, si QVINCTILIANVM <sup>b</sup> audiamus, qui BLANDIRI amicis uolunt, nullam ADVLATIONEM inueniunt, quae ultra nomen COGNATORVM procedat, neque est ulla uoluntatis nostrae significatio luculentior, quam, si illos, qui amici esse uidentur, nomine quasi dulciori, id est familiari et domestico consanguineos PATRES, FRATRES et PROPINQVOS appellemus

QVAE cum ita sint, ad officium CANDIDATORVM, quo etiam BLANDITIA seu blanda appellatio ciuium, ante leges DE AMBITV coërcendo latas, continebatur, <sup>c</sup> in petitionibus honorum in primis pertinebat, ut non solum, adhibito nomenclatore, suo quemque nomine proprio et gentilizio salutarent, sed etiam, quo facilius animos quorumuis obuiorum occuparent, FICTITIVM COGNATIONIS NOMEN adiungerent et seniores PATRVVM, aequales FRATRVM, minores natu FILIORVM, appellatione ornatos, amplecterentur. Hoc adulationis genus Q. HORATIVVS FLACCVS <sup>d</sup> ADOPTIONEM aliquam appellat, qua amicitiae in republica latius spargantur atque propagentur:

Mercesur seruum, qui DICTET NOMINA, - - -

- - - FRATER, PATER adde

VT CVIQVE EST AETAS, ITA QVEMQVE facetus ADOPTA

HOC fere consilio, ipse IVSTINIANVS, quos in summa PATRICIATVS dignitate constituerat, illos a principe LOCO PATRIS honorari et a se in locum patris ELECTOS esse profiteretur, l. 5. C. de Consul. quasi nomen PATRIS, ex toto ordine cognationis, maxime in illum, cuius consilio princeps regitur, propter

a) Cicero. de Amicit. 14

b) Quinctil. Declam. 321

c) Cicero. de Petit. Consulatus. c. 11

d) Horatius I. Epist. 6. u. 50. 54. 55



propter domesticam affectionem, conuenire uideatur. Eodem honore ALEXANDER VLPIANVM, Praefectum annonae, dignum iudicauit l. 4. C. de locato et conducto. IUSTINIANVS uero etiam FRATRVM NOMEN ad Praefides accommodauit et FRATREM IVCVNDISSIMVM dixit BASILIVM, cum quo familiariter uersari consueuerat Nou. 121. in fin. Quod ut ad honorem et beneuolentiae singularis significationem pertinere intelligatur, non alienum erit, hoc loco obseruare, eisdem Praefides et Praefectos, quos subinde FRATRES dixerunt, etiam AMICOS principis, quasi arctiori uinculo sibi coniunctos, ab imperatoribus romanis appellatos; l. ult. D. de Offic. Praef. Vigil. l. 17. pr. D. de iure patron. l. 4. C. de contr. et committ. stipular. sed reliquis ciuibus interdictum esse, ne illos, quos princeps fratres dixerit, eodem compellere FRATRVM NOMINE auderent l. 2. C. de Offic. diuers. iudic. Neque superuacaneum erit admonere, eundem morem, etiam ad externos propagatum, ad GALLOS in primis peruenisse, quorum reges non solum eos, qui sanguine ipsos attingunt, et ex familia regis prodierunt, prout cuiusque aetas postulauerit, modo PATRES, modo CONSANGVINEOS et FRATRES et PROPINQVOS Cousins beneuolentiae ostendendae causa appellant, sed eundem etiam honorem ducibus et comitibus, suae ditioni subiectis, imò etiam extraneis, in ducum aut comitum dignitate constitutis, tribuunt, quasi omnes illustres animae communi quodam ipsius SANGVINIS et naturae uinculo et necessitudine continerentur. <sup>a</sup> Imò uero TURCARVM etiam IMPERATORES natura docuit, quanta uis inesse in necessitudine et sanguinis propinquitate, ut ipsi etiam cum imperatoribus et regibus extraneis nomen PATRIS et FILII communicarent. Ita certe Tureas cum Rudolpho II. egisse legimus, ut

<sup>a</sup>) Vid. Limnaeus ad Capit. Caroli V. p. 125. qui hoc ex *Loyseau re. des Ordres* ch. 7. n. 103. obseruat



ut Anno cIoIoCvi. conventione solenni definiretur, Rudolphum II. allegatis Turcicis nunquam, nisi adiecto PATRIS NOMINE, Turcam non nisi NOMINE FILII, in tabulis publicis et instrumento pacis commemorandos esse <sup>a</sup>

HAVD multo secius de SORORVM NOMINE existimandum est, quod et ipsum proserpsit extra familias et ad illas feminas peruenit, quas pari secum gradu esse et aequalitatis iure secum uti, denique quas foedere quodam singulari et nexu arctiore sibi coniunctas esse arbitrabantur. Certe CAROLVS DU FRESNE<sup>b</sup> etiam VXORIBVS regum exterorum a reliquis regibus Europae, in tabulis publicis NOMEN SORORVM saepius tributum, maxime autem a Clericis hoc nomen frequentatum esse, diligenter et copiose comprobavit. Sed de his quidem deinceps erit locus exponendi

## II

INTER RELIQA COGNATIONVM NOMINA

DVLCISSIMVM VIDEBATVR

NOMEN FRATRVM

IN PRIMIS PROPTER AEQUALITATEM

ET CONCORDIAM

HINC RELIQVI ETIAM CONSANGVINEI

PRAETER FRATRES

FRATRVM NOMINE QVASI DVLCIORI

ORNATI SVNT

**E**x his, quae adhuc disputata sunt, apparet, etiam EXTRA-NEOS amicos blandius tractari, si NOMINA COGNATIONIS domestica et familiaria ad illorum appellationem accommodemus

a) Vid. Limnaeus ad Capit. Carol. V. p. 125. ex Bondier, dans l' inventaire de l'histoire generale des Turcs liore 17. ch. 11. p. 771

b) Du Fresne in Glossario medii aeu. Tom. 2. p. 999. voce: *seror*



demus. Ipsa autem FAMILIA cum plures easque sanctissimas societates, inprimis ipsorum CONIVGV, PARENTVM atque liberorum, DOMINORVM seruorumque, comprehendat; nulla tamen, praeter PATERNVN nomen, dulcedine, gratia, simplicitate et innocentia FRATERNVM illud CONSORTIVM et IVCVNDISSIMVM SODALITIVM, quod CATVLLVS<sup>a</sup> appellat, et CONCORDIAM FRATRVM, quam QVINCTILIANVS<sup>b</sup> praedicat, superare et uincere uidetur. Sola enim paterna beneuolentia et affectio praefertur FOEDERI FRATERNO hinc ex Q. HORATII FLACCI sententia,<sup>c</sup>

Viuet externo Proculeius aeuo,  
NOTUS IN FRATRES animi PATERNI:

ut intelligatur, accessisse aliquid ad fratrum caritatem, cum PROCVLEIVS paterno animo, id est, studio et diligentia maiore, quamque inter fratres usu uenire solet, salutem fratrum procurasset. Idem enim HORATIVS alio loco<sup>d</sup> tres quasi ordines amorum in familia constituit, et fratres proximo, post parentes, gradu habendos esse praecipit:

Quo sit AMORE PARENS, quo FRATER amandus et hospes

NEQVE uero, cum in hunc locum inciderim, negligere et intactum relinquere possum, nomen SANCTITATIS ad nullos fere cognationis gradus, praeterquam ad PARENTES et FRATRVM CONSORTIVM, referri. In parentibus enim colendis, quod PLANCVS<sup>e</sup> ait, PATRIAM nobis SANCTITATEM constituimus; sed FRATRES etiam, bene de nobis meritos, SANCTIS-

B

SIMOS

- a) Catullus Carm. 101. u. 78  
 b) Quinctilianus Declam. 321  
 c) Horatius Carm. L. II. Ode 3. u. 5. 6  
 d) Horatius de Art. poet. u. 313  
 e) Plancus ad Cicer. Epistol. ad Famil. L. X. 4



SIMOS subinde appellamus. Hoc elogio utitur ille apud PETRONIVM,<sup>a</sup> qui SANCTISSIMI FRATRIS nomen inuocat: hoc loquuntur lapides litterati apud GRUTERVM,<sup>b</sup> et monumenta fratribus sanctissimis et benemerentibus a fratre superstite posita, quo nomine sanctitatis omnes amores et omnia beneuolentiae genera comprehenduntur. Hoc agnouit IULIANVS, qui FRATRES et SORORES pro personis MAXIME CONIUNCTIS habuit, ideoque tutori fratris impuberis permisit ALERE sororem, et donationibus necessitatem eius subleuare, l. 1. §. 2. D. *de tutel. et vat. distr.* quamuis alimenta, si regulam sequamur, solis LIBERIS et PARENTIBVS subinde debeamus

NIMIRVM si ipsas societatum humanarum origines spectemus, illisque ex ANTIQVITATE pretium constituamus, PRIMVM, post coniugum et parentum cum liberis coniunctionem, PRIMVM, inquam, et SIMPLICISSIMVM, et naturae humani ingenii inprimis conueniens, FRATRVM illud est CONSORTIVM, ad cuius exemplum ceterae deinceps sodalitates, prout cuiusque necessitas et commoditas poscebat, constitutae: ut omnes fere ordines hominum, tum communi uinculo, tum singularibus foederibus inter se adstringerentur. Cum enim non esset sociorum copia, ex quibus sodales et amicos deligerent, aut cum quibus studia et uitae consuetudinem conferrent, ipsa rerum omnium procreatrix natura fratres fratribus obtulit, cum quibus amicitiam iungerent, cum quibus gaudia et incommoda miscerent, cum quibus uitam, quae sine societate et aliorum ope nulla est, iucundius commodiusque tolerarent. Enim uero a PARENTIBVS ipsa horum grauitas et seueritas liberos plerumque se iungebant; sed AMICITIA, quae PARES aut inuenit aut facit, desiderabat socios AEQVALES, communibus studiis assuetos, iisdem moribus excultos, uno uerbo, FRATRES, in quibus

<sup>a</sup>) Petronius Satyr. c. XI

<sup>b</sup>) Gruteri Inscription. p. 339. n. I



bus suam quisque imaginem, et corpore et animi uirtutibus expressam, inueniret. Hoc est, quod auctore NIGIDIO, apud A. GELLIVM<sup>a</sup> FRATER dictus est quasi FERE ALTER, id est, qui discrimine exiguo et obscuro a fratre suo distaret, ut dissimulare communem originem non posset. Hoc sensu M. TVLIVS, cum, ex prouincia discedens, illam FRATRI suo commendasset, suspicabatur, quosdam indicaturos esse, quod SE ALTERVM in prouincia reliquisset.

VTCVNQVE autem alii de arguto et subtili illo *ἐπίμο* existimauerint, illud expeditum est, AEQUALITATEM hanc FRATRVN et similitudinem atque communionem rerum omnium continere istas causas, per quas maxime conciliatur foedus illud fraternum et amicitia, quam IVS FRATERNITATIS solemus appellare. Hinc ille apud QVINCTILIANVM<sup>c</sup> recte iudicauit, isti, qui in fratrem intueatur, succurrere communem uterum, eandem causam uitae, eadem primordia, eadem membra, per quae unus spiritus diuisus esse uideatur. Certe M. VAL. MARTIALI<sup>d</sup> ipsa SIMILITUDO VULTVS et membrorum uisa est, argumentum FRATERNITATIS continere:

Cur FRATER tibi dicor?

An VULTV SIMILES uidemur esse?

et effecit profecto illa inter fratres AEQUALITAS, ut quaecumque paria et inter se similia a rerum natura procreata essent, CONSANGVINEI FRATRES et SORORES dicerentur. Sic apud VIRGILIVM MARONEM:<sup>e</sup>

CONSANGVINEVS lethi sopor,  
B 2 quia,

a) Gellius Lib. XIII. c. 10

b) Cicero ad famil. Lib. II. Epist. 15

c) Quinctilianus Declam. 321

d) Martialis Lib. X. Epigr. 65. u. 3. seq

e) Virgilius Aeneid. VI. u. 278



quia quaedam inter lethum et soporem similitudo est, propter quam alter cum altero comparari posset. Germani luculentius in notissima formula: *Der Tod ist des Schlafes Bruder*. Imo uero ipsa membra unius corporis a natura GEMINATA, FRATRES et SORORES a ueteribus dicuntur, hoc animo Agorastocles apud PLAVTVM<sup>a</sup>: MANVM LAEVAM DEXTRAE SOROREM appellauit, quod et alii Poëtae imitati sunt apud TAUBMANNVM:<sup>b</sup>

Interdum fessae succedit LAEVA SORORI

EXTREMO generaliter SEXT. POMPEIVS FESTVS membra eiusdem corporis, quae PARIA sint, et simul succrescant, atque ad maturitatem perueniant, FRATRARE et SORORIARE dixit,<sup>c</sup> quasi hoc proprium sit FRATRVM ac SORORVM, ut inter se PARES sint et in eadem domo iisdem studiis innutrantur

AEQUALITAS igitur et similitudo ingenii, uultus et omnium membrorum uidetur FRATRIBVS maxime FRATRVM amicitiam et iucundissimum illud SODALITIVM conciliasse. Sed ad hanc naturae inuitationem accessit VITAE, ab ineuntibus aetatibus, CONSVETVDO et coniunctio, quae, ut QVINTILIANVS obseruat,<sup>d</sup> AFFECTVM aliquem FRATERNITATIS parit, et ALIENOS etiam nullaque necessitudine in se coniunctos componere et adstringere adfectibus potest:<sup>e</sup> ut inter illos amicitiae et iungantur facilius et pertinacius retineantur. Enim uero postquam adoleuerunt, qui ex eadem stirpe oriundi sunt, ipsa RECORDATIO actae pariter infantiae, pueritiae, studiorum, ludorum, tristitiae, iocorum, communium etiam periculorum, inter quae succreuerunt, amorem SIMPLICISSIMVM et

a) Plautus Paenul. Act. I. Scen. 3. u. 8. et 9

b) Taubmann. ad locum allegatum Plauri

c) Festus de Verb. signific. in uocibus: *fratrare et sororiare*

d) Quintilianus Declam. 16. c. 2

e) Quintil. Declam. 321



et INNOCENTISSIMVM non solum iniicit animis, sed etiam mirifice confirmat, ut coaluisse in unum corpus, et diuelli a se inuicem non posse, uideantur. <sup>a</sup> Ipsa enim illa uitae in iisdem laribus consuetudo, quae sine consensione animorum subsistere non potest, efficit, ut omnia aperta sint inter fratres, et in aprico posita, nihil facile regi possit aut dissimulari, nihil clanculum administrari, ex qua re oritur SIMPLICITAS illa fraterni et innocentissimi amoris

Ex his igitur fontibus deducitur haec FRATRVM CONCORDIA et SIMPLICISSIMA uoluntatum conspiratio, quam qui fratribus ademerit, ille, quod idem QVINCTILIANVS <sup>b</sup> ait, omnem gratiam et auctoritatem detraxerit fraternitati. Tunc profecto inter amicos ius aliquod FRATERNITATIS nascitur, cum

- - - pene GEMELLI  
FRATERNIS ANIMIS, quicquid negat ALTER et  
ALTER,  
ADNVIMVS pariter <sup>c</sup>

HAEC est illa CONSANGVINEA CHARITAS <sup>d</sup> et FRATERNA BENEVOLENTIA, quae, si VAL. MAXIMO <sup>e</sup> fides est, OMNES FERECOGNATIONES SVPERAT, et sanctissimam in familia constituit societatem, adeoque in animis fratrum tam alte insigitur, ut ne morte quidem alterutrius extinguatur. Hoc agnouit IVTVRNA in funere fratris TVRNI apud MARONEM: <sup>f</sup>

- - Haud quidquam mihi dulce meorum  
TE SINE, FRATER, erit.

B 3

Hoc

- a) Quinctilianus Declam. 321  
b) Quinctilianus l. c  
c) Horatius Lib. I. Epist. X. u. 3. 4. 5  
d) Val. Maximus Exempl. memorab. L. V. c. 5. pr  
e) Id. l. c. §. 3  
f) Virgilius Aen. XII. u. 884



Hoc loquuntur tot marmora litterata et fraternae pietatis monu-  
 menta apud GRUTERVM, quae fratres superstites FRATRI  
 ADMIRANDAE PIETATIS,<sup>a</sup> AMANTISSIMO,<sup>b</sup> PIENTISSIMO  
 BENEMERENTI,<sup>c</sup> DVLCISSIMO ATQVE INCOMPARABILI,<sup>d</sup>  
 INNOCENTISSIMO,<sup>e</sup> NOBILISSIMO,<sup>f</sup> OPTIMO,<sup>g</sup> FIDELIS-  
 SIMO,<sup>h</sup> SANCTISSIMO,<sup>i</sup> ut supra observatum est, fratri, QVI  
 AD DIEM MORTIS SIMPLICI AFFECTIONE VNOQVE  
 ANIMO CVM FRATRE EGIT,<sup>k</sup> poni curauerunt

ACCEPISTI non solum sanguinis nomina extraneis tri-  
 buta plerisque dulciora et plenissima gratiae uideri, sed inter  
 nomina cognationum, post parentes, iucundissimam esse FRA-  
 TRVM appellationem, qua fides mutua, concordia, simplicitas  
 amoris et innocentia maxime contineantur. Haec res, in pri-  
 mis illos, qui ex eodem sanguine originem ducunt, commo-  
 uit, ut, quamuis fratres non essent, sed ultra secundum gradum  
 constituti, modo aequales quodammodo fuerint, et aetas  
 eorum hoc tulerit, FRATRES DICI MALVERINT, quam reli-  
 qua sibi cognationis nomina imponi: quandoquidem, auctore  
 QVINCTILIANO,<sup>l</sup> nulla coniunctio potest esse tam felix, ut  
 FRATERNITATEM imitetur. Quod quamuis in primis in AGNA-  
 TIS, quos natura ad nominis societatem nobis adiunxit, ferri  
 potuisset, tamen ad cognatos etiam proferpsit FRATRVN NOMEN

et

a) Gruteri Inscript. p. 392. n. 5. et p. 1098. n. 4

b) Id. p. 804. n. 3

c) Id. p. 851. n. 10

d) Id. p. 844. n. 7

e) Id. p. 850. n. 8

f) Id. p. 735. n. 6

g) Id. p. 846. n. 13

h) Id. p. 582. n. 1

i) Id. p. 339. n. 1

k) Id. p. 844. n. 7

l) Quinctilianus Declam. 327



et communicatum est cum omnibus, qui AEQVO IVRE ex eadem stirpe prouenerunt. Vix attinet monere, SORORES etiam FRATRVM appellatione comprehendi; ut, qui FRATRES aut totam FRATERNITATEM nominauerit, etiam de SORORIBVS sensisse censetur. Luculenter enim SCAEVOLA noster l. 93. §. 3. de legat. 3. fideicommissum fratribus relictum etiam ad SORORES pertinere, ait, nisi manifeste appareat, aliud sensisse testatorem. PAVLLVS etiam Lucium et Titiam sub FRATRVM nomine coniunxit l. 38. D. famil. hercisc. et lapis litteratus apud GRVTERVM<sup>a</sup> habet Fuscium et Fusciam FRATRES. Hoc CORNELIVS TACITVS intellexit,<sup>b</sup> qui FRATRVM incestum nominauit, cum ageret de incestu fratris et sororis

MAGIS nos attingit, quod, qui ex PLVRIBVS FRATRIBVS aut SORORIBVS nati sunt, FRATRES uel PATRVELES uel AMITINI uel CONSOBRINI nominantur. Ita enim PAVLLVS tradidit l. 10. §. 15. D. de gradibus et affin. Quod ne quis credat nouiter et extremis demum temporibus a Romanis inuectum esse, audiamus C. IVL. CAESAREM,<sup>c</sup> qui Marcellum, ait, fratri patrueli Marco in Consulatu successisse. Imo uero MARCVS TVLLIVS<sup>d</sup> etiam ad affinitatem FRATRIS nomen transtulit, et MARITO SORORIS illud attribuit; ut intelligatur, omnes propinquos, quorum aetas hoc tulerit, fratrum nomine blandiori ab antiquissimis temporibus comprehensos esse

ILLVD quibusdam mirum uideri posset etiam matri, propter turpis amoris societatem, SORORIS nomen a filio adiectum, quod M. VAL. MARTIALIS<sup>e</sup> obseruauit; de quo loco infra erit admonendum. Et ita quidem de fratris appellatione in FAMILIA existimandum est

III

a) Gruteri Inscript. p. 848. n. 9

b) Tacit. Annal. L. XII. c. 4

c) Sueton. in Caes. c. 29

d) Cicero. pro Dom. c. 15

e) Martial. L. II. Epigr. 4



## III

## ADOPTARE

EST ELIGERE, ASSUMERE, RECIPERE

QVI SVB NOMINE SANGVINIS ADSCISCVNTVR

NATVRALITER ADOPTANTVR

ET QVI TANQVAM AEQVALES RECIPIVNTVR  
SVB NOMINE FRATRVN ADOPTARI SOLENT.

ADOPTIO NATVRALIS

ETIAM PRIVATA ET FACTITIA

ROMANIS NON INCOGNITA

ET EFFECTVM HABVIT PRO FACVLTATE  
CONTRAHEVTVM

HAEC DICITVR ETIAM QVASI ADOPTIO

VIDES, quanta fit uis SANGVINIS et PROPINQVITATIS in amicitis conciliandis, et societatibus iungendis, ut etiam extranei existimarent, multum sibi tribui, si sub NOMINE SANGVINIS adsciscerentur in societatem. Sunt enim haec nomina SANGVINIS, quae ex COGNATIONE deducuntur, si P. OVIDIO NASONI<sup>a</sup> obsequamur:

Iam dominum appellat, iam NOMINA SANGVINIS odit:  
Byblida iam mauult, quam se uocet ille SOROREM

NIMIRVM, quia IVDICII nostri MONVMENTVM relinquimus, dum extraneos sub nomine sanguinis nobiscum coniungimus, quod GALBA Pisoni praedicat apud CORNELIVM TACITVM,<sup>b</sup> et ostendimus nos antea deliberasse de iudicasse de amico, ut SENECA<sup>c</sup> praecipit, priusquam illum tam arcto foedere

<sup>a</sup>) Ouid. Metamorph. VIII. u. 467. seq

<sup>b</sup>) Tacit. Hist. I. 15

<sup>c</sup>) Senec. Epist. 3



dere nobiscum copularemus; multi magis de FICTITIA illa COGNATIONE, quae ex benevolentia et iudicio profecta sit, quam de ipso sanguinis et naturae uinculo gauisi sunt, ideoque moribus inualuit ut multi amicitias sub nomine sanguinis contraherent, et illos quibus amici essent ad domesticam familiaritatem aduocarent. Neque enim obscurum erat, quod QVIN-  
CTILIANVS<sup>a</sup> ait, CASVM tribuere ius sanguinis et consortii, sed socios et amicos ELIGI, si illos uiderimus dignos esse, cum quibus res et fortunas nostras misceamus

QVAE quamuis uera sint, tamen, ne quid dissimulem, propter iura sacrorum et familiarum quarundam interitum, quem Romani metuebant, si gentes priscae arrogationibus et adoptionibus PROMISCVIS exhaurirentur, quae per se subsistere omnino potuissent, non placuit ueteribus, temere quemquam et sine discrimine in familiam recipi, atque ad communionem sacrorum et hereditatis admitti, nisi publica auctoritas uel populi et pontificis et postea principis, uel certe Magistratus accessisset. Igitur ELECTIO in locum propinqui et consanguinei SOLENNITAS ab VLPIANO appellatur l. 25. D. de adopt. quam MODESTINVS naturae opposuit l. 1. D. eod. ut superuacanea uideri possit haec, de naturali adoptione, disputatio, cum adoptio non ex NATVRA, sed ex LEGIS ACTIONE et SOLENNITATE uim aliquam nancisci iudicetur

VERVM salua res est, et fructu atque effectu non carebit NATVRALIS illius ADOPTIONIS beneficium, neque a romanorum institutis aliena uidebitur naturalis amicorum IN LOCVM FRATRIS adoptio, si expediuerimus, quae sit naturalis adoptio, a nobis in controuersiam adducta

NIMIRVM ADOPTAMVS quos ELIGIMVS et ita nobis coniungimus, ut quasi nobiscum coalescant. Ita apud PLAV-  
C  
TVM

<sup>a</sup>) Quinsilianus Declam. 320.



TVM<sup>a</sup> femina in magnis difficultatibus constituta, ex quibus se extricare non poterat, opem alterius feminae implorabat quasi per adoptionem:

- - SOCIAM TE MIHI ADOPTO ad meam salutem,

hoc est, ADIVTRICEM TE ELIGO, ut elabar ex hoc periculo, quod sola euadere non possum

HABES ADOPTIONEM FACTITIAM et ELECTIONEM fœcie sine uinculo ciuili. Imo uero, qui ciuilliter adoptant, auctore VOPISCO,<sup>b</sup> in locum filiorum fortissimos ELIGVNT, ut uel senescentes familias, uel foetus matrimonii iam caducos substituta foecunditas prolis ornaret. Qua re euenit, ut cum adoptandos ELIGIMVS, quod GALBA, apud CORNELIVM TACITVM,<sup>c</sup> profretur, ADOPTIO POSSIT OPTIMVM INVENIRE

IGITVR quoscunque eligimus, fœcieratis arctioris ineundae causa, illos uidemur ADOPTARE. Generaliter, quos ASSVMIMVS, ut nobiscum quasi coalescant, et quos non repudiamus neque EXCLVDIMVS, illi uidentur nobiscum PER ADOPTIONEM quodammodo coniuncti. Sic

- - ramum ramus ADOPTAT

Statque peregrinis arbor operata comis,<sup>d</sup>

aut, si PLINIO<sup>e</sup> obtemperare mauis; arbores mitiores fiunt ADOPTIONE, id est, insitione rami adoptiui, quem arbores ASSVMVNT, et non repudiant neque expellunt, adeoque secum succrescere et fructus ferre patiuntur. Sed ut arbor ramum INSITITIVM ASSVMIT, QVASI PER ADOPTIONEM, aut certe non expellit, sed alit atque educat; ita in familiis ADOPTIO est; cum

a) Plaut. in Cistellar. Act. 4. Scen. 2. u. 78

b) Vopiscus in Aureliano c. 4

c) Tacit. Hist. L. I. c. 16

d) Ouid. de Remed. amor. L. I. u. 39

e) Plin. Hist. Nat. Lib. 16. in Procera



cum extranei ex aliena familia SVMVNIVR, quod A. GEL-  
LIVS<sup>a</sup> obseruat, atque apud CRISPVM SALVSTIVM,<sup>b</sup> qui  
liberos a se non genitos ADOPTAVERAT, dicitur liberos  
SVMSSISSE

QVOSCVNQVE igitur ELIGIMVS et SVMIMVS et AD-  
MITTIMVS, illos, etiam romano more, NATVRALITER  
ADOPTASSE iudicamur. In primis si nomen sanguinis adii-  
ciatur, ex quo intelligi possit, quod adoptato quasi locum  
quendam in familia assignemus. Hoc sensu candidati, qui ob-  
uios nomine PATRIS, aut FRATRIS, per blanditias salutabant,  
illos dicebantur FACETE ADOPTASSE, quod supra ex Q.  
HORATIO FLACCO<sup>c</sup> obseruatum est:

--- frater, pater, adde,

ut cuique est actas, ita quemque FACETVS ADOPTA.

Ex quibus rebus conficitur, NATVRALEM ADOPTIONEM,  
quae CIVILI opponatur, esse ELECTIONEM PERSONAE EX-  
TRANEAЕ, sub nomine sanguinis, SINE CIVILI ET PVBLI-  
CA SOLENNITATE. Ita fere IVNO HERCVLEM NATVRALITER  
ADOPTASSE dicitur, cum ipsa sine CIVILI SOLEN-  
NITATE, habitum parturientium imitata, Herculem per ue-  
stem defuere in terram patēretur, et deinde susciperet quasi  
ex se prognatum: quod THEODORVS MARCILIVS<sup>d</sup> ex DIO-  
DORO SICVLO<sup>e</sup> obseruat

SED, ut reuertar ad Romanos, non omni fructu caruit  
NATVRALIS illa ADOPTIO, etiam ex Romanae Iuris pruden-

C 2

tiae

a) Gellius Noct. Att. L. V. c. 19

b) Salust. de Bello Iugurth. c. 10

c) Horat. I. Epist. VI. u. 54. 55.

d) Theodorus Marcilius in interpretam. Leg. XII. Tab. c. 101. in  
Thesaur. Ottonis Tom. IV. p. 313

e) Diodorus Siculus L. IV. p. 170. b



tiae praeceptis. <sup>a</sup> Ipse IUSTINIANVS, habet eiusmodi speciem §. *ult. Inst. de Adopt.* in qua quis seruum suum, actis interuenientibus, FILIVM NOMINAVERAT, nulla adhibita solennitate

SED IUSTINIANVS, bene apud CATONEM scriptum esse, ait, seruum ex illa scriptura LIBERARI, quamvis hoc ei ad ius filii accipiendum non sufficiat. Et merito probauit IUSTINIANVS hoc CATONIS iudicium, cum et naturalis ratio et iuris regulae praecipiant, vim cuiusque negotii, etiam imperfecti, EX FACVLTATE agentis et contrahentis aestimari: ut qui PLUS et MAIUS quoddam uoluerit, cuius ille perficiendi potestatem non habeat, etiam MENVS, quod sub maioris comprehenditur, omnino uoluisse censeatur. Nimirum generaliter receptum est, ita in iudicandis negotiis uersandum esse, ut, quantum fieri possit, ACTVS etiam IMPERFECTVS conseruetur, et potius ualeat, quam pereat et pro NULLO habeatur. Igitur cum dubitari non posset, dominum, qui seruum naturaliter in locum filii adoptauerat, quod ipsi SINE SOLENNITATE efficere non licebat, eidem seruo libertatem, sine qua filius fieri non poterat, dare uoluisse, ad quam concedendam nuda uoluntatis significatio sufficebat; placuit, ADOPTIONEM IMPERFECTAM, ne prorsus inutile sit negotium, LIBERTATIS DATIIONEM CONTINERE

SATIS, credo, comprobauimus, Romanos neque ignorasse naturalem adoptionem, neque uim omnem illi detraxisse. Sed ne quis suspicetur in extrema specie, quam tractauimus, LIBERTATIS FAVORE, qui apud IUSTINIANVM maximus fuerat, ab illo aliquid constitutum esse; audiamus PEGASVM, qui l. 19. §. 6. D. *de Donat.* de alia specie disputat, quae inter homines liberos obuenit. Proponit enim aliquem centum spondidisse, si alter iurasset, se nomen sponsoris LATVRVM esse. Habes

a) V. Id. Marcil. apud Ottonem Theol. Tom. IV. c. 71. p. 289



Habes speciem adoptionis naturalis, quandoquidem, si M. TVL-  
LIVM<sup>a</sup> audias, hic non exiguus fructus est adoptionis, ut HE-  
REDITAS NOMINIS perueniat ad adoptatum. De quo loco  
deinceps exponemus. Apparebat, hanc stipulationem non  
sufficere ad ius filii uel familiae consequendum, cum adoptio  
desideret sollemnitatem. Quaerebatur ergo, nulliusne mo-  
menti sit STIPVLATIO, an potius DONATIONIS, an con-  
tractus rationem habere uideatur. Respondit PEGASVS: A-  
doptionem non esse, imo nec donationem, sed contractum  
innominatum, *Do ut facias*, hac sponfione contineri, quia ob  
rem facta sit, et res secuta.

IGITUR eousque ualebat negotium, quatenus stipulantium  
facultas ad illud contrahendum sufficiebat, quamuis illa stipu-  
latio uim adoptionis non haberet. Ita etiam GAIO uisum est de  
testamento, quo quis heredi hanc conditionem adscripserat, ut  
ferret NOMEN TESTATORIS. Ait enim, parendum esse  
conditioni ab herede, quamuis haec uerba adoptionem perfe-  
ctam non absoluant; cum nihil mali sit, HONESTI HOMINIS  
NOMEN ASSVMERE. l. 63. §. 10. D. ad SCrum Trebell

SED de testamentariis adoptionibus postea uidebimus. Iam  
uero dimittere non possum, quod et Princeps eum IN LOCVM  
PATRIS ELEGISSE uideatur, quem ad Patriciatus dignitatem  
euexit, quamuis non adhibita sollemnitate, quam desiderant  
adoptiones. Neque tamen fructu caret illa patris electio, sed  
efficit, ut Patricius a potestate patris naturalis liberetur. Qua re  
intelligitur, adoptiones IMPERFECTAS ET NATVRALES non  
prorsus inutiles et superuacaneas censei. Imo uero VIPIA-  
NVS noster l. 63. §. 10. D. *pro socio* longius procedit, et illis etiam  
fauet, qui extraneos tanquam AEQVALES receperint in socie-  
tatem.

C 3

a) Ciccr. pro Dom. c. 13



tatem. Respondit enim, societatem initam quodammodo in se habere IUS FRATERNITATIS. Ita qui socium eligunt, eum IN LOCVM FRATRIS uidentur ADOPTARE. Sed quamuis societas sine solennitate ciuilibus adoptionis contrahatur, adeoque ius familiae non tribuat illa FRATERNITAS, non tamen inanis est et infructuosa, sed uim nanciscitur ex FACVLTA TE CONTRAHENTIVM, ut FAMILIARIOR nobis fiat SOCIVS, et uinculo arctiori nobiscum coniungatur, eaque de causa in id tantum, quod facere potest, damnari debeat, si propter debitum conueniatur. d. l. 63. §. 10. D. *pro socio*. Sed operae pretium fuerit de his speciebus postea diligentius tractare

IGITVR desererem hunc locum, nisi adhuc admonendum esset, adoptionem naturalem seu imperfectam etiam QVASI ADOPTIONEM appellari. Certe DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS illum, quem pater IN LOCVM FRATRIS ADOPTARE uoluerat, VELVT adoptatum, hoc est, quasi adoptatum esse dixerunt l. 7. C. *de Hered. instit.* Nouissime, Augustissimus Rex et Legislator noster in Edicto nuper Dresenae die XIII. Ian. huius anni proposito, *de Contractu Vitalitio*, von der Leib- auch Familien-Renten-Negotiation §. 20. clementissime permisit cuique SVCCESOREM, ad quem fructus contractus uitalitii post mortem eius perueniat, designare, et hunc QVASI ADOPTARE in locum filii sine ciuilibus solennitatibus: dasß der erste Gewinner eines Familien-Haupt-Stammes berechtiget seyn solle, in Ansehung dieser Rente, einen Sohn gleichsam zu adoptiren: ut appareat etiam apud Germanos adoptionem naturalem et imperfectam fructu non carere



## IIII

## ADOPTIO NATVRALIS

SVB NOMINE FRATRVM IN VSV EVIT

INTER AMICOS ET SOCIOS

INTER IPSOS REGES

GENTES EXTRANEAE NOMEN FRATRVM ACCEPERVNT

A ROMANIS

COLLEGAE SODALES ET COMMILITONES DICTI SVNT

FRATRES

EX HIS igitur speciebus, quae adhuc a nobis tractatae sunt, satis, credo, intelligitur, Romanos adoptioni naturali IN LOCVM FRATRIS non omnem vim omnino ademisse. Sed res erit luculentior, si ostenderimus, in quibus negotiis NOMEN FRATRVM adscitorum uel adoptiuorum in primis frequentatum fuerit in republica Romana

Et primo quidem ipsos maxime AMICOS, tanquam aequales, exacto iudicio ELICIMVS, et plerumque sub NOMINE FRATRVM ADOPTAMVS. Nimirum, si PAVLLO fides est, amicos appellare debemus, non leui notitia coniunctos, sed quibus fuerint iura cum patrefamilias, HONESTIS FAMILIARITATIS RATIONIBVS quaesita. I. 223. §. I. D. de *Verb. signif.*

DESIDERAT igitur PAVELVS, ut sine IVRA quaedam inter amicos, et FAMILIARITAS, honestis rationibus quaesita. Sed nulla familiaritas certior, nulla familiaritatis ratio honestior, quam uitae ab ineunte aetate CONSVETVDO et animorum perpetua consensio, quae, auctore QVINCTILIANO, c. parit speciem aliquam FRATERNITATIS, atque alienos etiam, et nulla necessitudine coniunctos, adfectibus deuincit<sup>b</sup>

QVAE

a) Quinctilianus Declam. 16. cap. 2

b) Id. Declam. 321



QVAE cum ita sint, nomen fratrum in primis uidebatur AMICIS conuenire, cum amicitia, quod idem QVINCTILIANVS ait, sit VMBRA quaedam NATVRAE ET FRATERNITATIS et utramque imitetur. Certè quoties blandiri uolumus his, qui esse amici uidentur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut FRATRES uocemus. <sup>a</sup> Quae res efficit, ut nullum magis idoneum sit argumentum familiaritatis, quam PAVLLVS desiderat, et amicitiae probandae, quam, si NOMEN FRATRIS usurpatum esse, inter amicos, ostendatur. Haec est FRATERNA illa CARITAS, qua illi, qui fratres non sunt, ut PAVLLVS noster docet, fraterne diliguntur, et in summam familiaritatem adducuntur, ut etiam heredes, cum nomine suo, sub APPELLATIONE FRATRIS recte et efficaciter instituantur, l. 58. §. 1. D. de Hered. instit. Ex qua lege apparet, fructu non carere illam, quae inter amicos contrahitur, FRATERNITATEM, ut etiam in supremis rabulis hoc nomen admittatur. Habet igitur appellatio fratris, inter amicos recepta, hoc quasi proprium et praecipuum, ut in omnibus negotiis, quasi iure ciuili constitutum, adhiberi possit, quod SEVERO et ANTONINO in reliquis COGNATIONIS NOMINIBVS non placuit, cum in aliis speciebus, qui NON COGNATVM quasi cognatum sub nomine sanguinis heredem instituit, interdum nihil egisse et errasse censetur, l. 4. C. de Hered. instit. Imo uero plus tribuit amico, qui illum fratrem appellat, cum, si CRISPVM SALVSTIUM audiamus, <sup>b</sup> nemo alteri amicior, quam FRATER FRATRI uideatur, et natura omnes amicitias superet. Agnouerunt certe Romani quanta uis affectionis insit in nomine FRATRIS et AMICI, qui utrumque aliquando publica auctoritate facto SCRO regibus extraneis honoris significandi causa tribuerunt. CAESAR certe ARIOVI-

a) Quintilian. Declam. 321. pr

b) Salust. de Bello Jugurth. c. 10



sto hoc obicit, quod Senatus et populi Romani beneficio rex et AMICVS appellatus fuerit, adeoque ad referendam gratiam obstrictus esse uideatur.<sup>a</sup> Certe in omnibus foederibus contrahendis hac formula Romani utebantur: AMICITIA INTER NOS ESTO, quod BARNABAS BRISSONIVS<sup>b</sup> obseruat.

EST igitur species quaedam NATVRALIS ADOPTIONIS, si illos, quos diligimus, in primis sub fratrum nomine IN AMICITIAM adiscimus

HAC formula Imperatores Romanos praesidibus prouinciarum et Praefectis, quos fratres et amicos appellabant, honoris amorisque significationem edidisse supra a nobis comprobatum est. Eundem honorem Carolus V. PRINCIPIBUS ELECTORIBVS S. R. I. habuit, quos in *Capitulatione Caesarea*,<sup>c</sup> AMICOS, *unsere lieben Freunde, Neven, Oheime und Churfürsten*, appellauit, et eundem morem etiam ad posteros transmisit, qui, ex communi Europae consuetudine, Princ. Electoribus, REGIA DIGNITATE EMINENTIBVS, FRATRVM nomen adiecerunt.<sup>d</sup> Quod ne quis heri aut nudius tertius inuectum esse credat, admonendum est, etiam antiquissimis temporibus SALOMONEM HIRAMO, Tyriorum Regi, NOMEN FRATRIS tribuisse<sup>e</sup>

PRAECPVE autem, ut dicere occupauimus, inter socios, quos FACTO FOEDERE nobiscum coniungimus, obtinet ius aliquod fraternitatis, l. 63. pr. D. *pro socio*: quapropter foedus, quod arctissime contractum fuerit, FOEDVS FRATERNVM appellat-

a) Iul. Caes. de bello Gallico L. I. c. 35

b) Brissonus de Form. L. II. c. 48

c) Vid. Capitulatio Caroli V. in Prooemio, et Limnaeus ad hunc loc. p. 124.

d) Vid. Capitulatio nouiss. Francisci Imp. in Prooemio et Epitologo

e) I. Reg. VIII. 13.



pellamus. Hoc enim ex loco Q. HORATII FLACCI<sup>a</sup> intelligimus:

- - - FRATERNVM rumpere FOEDVS,

et, secundum QVINCTILIANVM;<sup>b</sup> SOCIETAS SACRA RES EST, et quaedam FRATERNITAS propositorum animorum, ut appareat societatem SACRAM et SANCTAM dici eodem fere iure, quo FRATRES SANCTISSIMOS appellatos esse, supra indicauimus; sed in primis fratrum nomen sociis conuenit, qui fortunas suas miscuerunt, cum ex eadem causa propter communionem domus et hereditatis ipsi fratres naturales inter se CONSORTES appellentur, I. II. C. *commun. de success.*

SOCII igitur, etiam PRIVATA pactione assumpti, FRATRVM iure quodammodo censentur, et PLAVTVS<sup>c</sup> noster, quem supra testem inuocauimus, aperte docet, esse hanc speciem aliquam ADOPTIONIS, si socium et adiutorem nobis adsciscamus:

- - - SOCIAM te mihi ADOPTO ad meam salutem

HABES igitur naturalem ADOPTIONEM SOCIORVM. Neque tamen inter PRIVATAS SOCIETATES substitit haec pietas FRATERNA, sed etiam ad PVBLICA FOEDERA, et ad GENTES EXTERAS porrecta est a Romanis in societatibus iungendis. Notum est fraternum nomen, AEDVIS tributum, quod C. IVL. CAESAR<sup>d</sup> et CORNELIVS TACITVS<sup>e</sup> commemorant, quorum hic quidem, solos ex Gallis AEDVOS hoc honore dignos iudicatos esse, ait, ut SCto FRATRES appellarentur. Illud certum est, FRATRVM appellatione in formula foederis in primis

a) Horat. L. I. Epist. 3. u. 35

b) Quinctilianus Declam. 320

c) Plaut. in Cistell. Act. IIII. Scen. 2. u. 78.

d) Iul. Caesar. de Bello Gall. L. I. c. 36.

e) Tacit. Annal. L. XI. c. 25.



mis contineri spem MUTVAE DEFENSIONIS, quam socii fratres sibi inuicem debebant. CAESAR<sup>a</sup> enim ARIOVISTO hoc FOEDVS FRATERNVM ita interpretatus est, factum esse SCtum, ut qui prouinciam Galliam obtineret, Aeduos ceterosque amicos populi Romani DEFENDERET

EODEM iure etiam CLAVDIVS Imperator, apud SVE-  
TONIVM TRANQVILLVM,<sup>b</sup> ILIENSIBVS hoc datum esse,  
ait, ut CONSANGVINEI populi Romani dicerentur, ideoque  
SELEVCO regi commendatos, ut illos immunes ab omni onere  
praeftaret

EXTREMO attinet monere, etiam IVDAEOS SPARTA-  
NIS, cum quibus fidem et amicitiam iunxerant, FRATRVM  
nomine blanditos esse, ut ostenderent, SOCIOS et foederatos  
habere IVS FRATERNITATIS.<sup>c</sup> Haec eadem caussa AHA-  
BVM, Regem Iudaeorum permouit, ut legatis BENHADADI,  
Regis Syriae, pro uita eius deprecantibus, ita responderet: Si  
uiuuit, FRATER MIHI ESTO,<sup>d</sup> hoc est, FOEDVS mihi et AMI-  
CITIA cum ipso esto, si superstes fuerit; quasi ex homine  
fratris ipsum ius societatis deduci posse uideretur

PROXIMVM post socios inter fratres adoptiuos seu pacti-  
tios locum obtinebant COLLEGAE, id est, SODALES, qui, in-  
terpretante GAIO l. ult. D. de Colleg. eiusdem Collegii sunt, et  
SOCIETATIS iure quodammodo deuincti, ideoque etiam FRA-  
TRVM NOMINE inter se utuntur. Et profecto conuenit in  
illos fratris nomen, cum et ipsa fratrum coniunctio dulce  
FRATERNVM SODALITIVM dicatur a CATVLLO,<sup>e</sup> quod su-  
pra iam a nobis obseruatum est

D 2

INSI-

a) I. Caes. de Bello Gall. L. I. c. 35

b) Suet. in Claud. c. 25

c) I. Macc. XII. IO. 17

d) I. Reg. XX. 32. 33

e) Catullus Carm. IOI. u. 4



INSIGNEM FRATRVM, COLLEGARVM seu SODALIVM speciem A. GELLIVS.<sup>a</sup> ostendit, dum de FRATRIBVS ARVALIBVS exponit, et mansisse, ait, COLLEGIVM FRATRVM ARVALIVM numero duodecim sodalium, qui fratres Aruales dicerentur. Non uacat disputare de origine huius appellationis, quam GELLIVS, SABINVM MASSVRIVM secutus, a ROMVLO repetit. Hunc enim, ACCAE LARENTIAE nutricis suae filiis undecim VERIS FRATRIBVS, quibus se ipsum quasi adoptiuum admiscuerit, nomen FRATRVM ARVALIVM dedisse, tradit. Illud caret dubitatione, nomen et Collegium fratrum Arualium diutissime durasse, et tanta dignitate ornatum fuisse, ut principes etiam uiri ciuitatis ad illam societatem se adiungerent.<sup>b</sup> Largiamur igitur GELLIO, ueros fratres ab initio instituisse hoc collegium; post ea tamen certe, non nisi per ADOPTIONEM seu electionem, FRATRES ARVALES ADOPTIVI in collegium recepti sunt. Apud GRVTERVM<sup>c</sup> in marmore litterato commemoratur frater Arualis ALLECTVS, ut intelligatur, per adoptionem acquisitum esse ius illud sodalitiis et fraternitatis

SATIS diu te tenui et diutius quam uellem. Igitur discederem ab hoc loco, nisi MILITES aut commilitones me tenerent, TERRIBILE genus hominum, e quorum manibus elabi facile non possum. Quamuis enim sint terribiles hostibus, tamen inter se dicuntur etiam per rimas galearum sanguine confersarum familiariter ludere, et inuicem sibi arridere. Certe societas periculorum, iidem labores, iidem casus, idem contubernium, et totius uitae consuetudo pariunt aliquam speciem FRATERNITATIS, ut merito inter se FRATRVM NOMINE utantur. Enim uero fortior est affectio illa, quae ex communi militia

<sup>a</sup>) Gellius Noct. Att. L. VI. c. 7.

<sup>b</sup>) Gruteri Inscript. p. 1083. n. 10. p. 117. seq. et p. 381

<sup>c</sup>) Gruteri Inscript. p. 421. n. 2



militia oritur, quam quae solo sanguine et necessitudine est constituta: profecto etiam inter ueros fratres COMMILITVM addit aliquid amicitiae fraternae, cum ipsa societas peregrinationis et obeundorum munerum illos uice mutua cariores sibi reddidisse uideatur. Recte igitur GORDIANVS hereditatem a VERO FRATRE, sed eodem etiam COMMILITONE in iisdem castris, relictam ad peculium castrense retulit, quasi frater fratrem commilitonem, non tam ob ius sanguinis, quam ob amorem commilitonis, scripserit heredem. l. 4. C. de Castrens. pecul. Idem uideo et SCAEVOLAE et in primis TRYPHONINO placuisse, l. 19. pr. D. de Castrens. pecul. Imo uero, ne quis haec sine exemplo constituta esse arbitretur, admonendum est, non raram fuisse illam fratrum et commilitonum pietatem, qua et heredes se inuicem scripserint, et auctam per militiae periculá FRATERNAM affectionem ostenderit publicis subinde monumentis. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS l. 19. C. de Pactis tractauerunt eiusmodi speciem, in qua eminent pietas fratrum et commilitonum. Fratres enim in eadem militia degentes, cum ad discrimen praelii pergerent, ob communem mortis fortunam ita pacti sunt: ut ad eum, qui superstes fuisset, res eius, cui casus finem uitae attulisset, pertinerent. Et placuit Imperatoribus ualere pactiorem, quasi supremum iudicium commilitonum. Apud GRVTERVM<sup>a</sup> loquitur pietas fraterna in marmore antiquo, quod FRATRES et CONTVBERNALES OPTIMA PIETATE fratri et contubernali demortuo poni curauerunt. In alio quoque lapide apud eundem GRVTERVM<sup>b</sup> FRATRI et CONTVBERNALI et commanipulo RARISSIMO gratias agit frater ab ipso HERES institutus. Occurunt eiusmodi alia sexcenta, de quibus RADVLPHVS FORNERIVS<sup>c</sup> diligentissime tractauit. Sed meretur ta-

D 3

men

<sup>a</sup>) Gruteri Inscript. p. 525. n. 7

<sup>b</sup>) Id. p. 517. n. 9

<sup>c</sup>) Fornerius Rerum Quotidian. L. IV. c. 7. in Thesaur. Otton. Tom.

II. p. 234



men obseruari, hereditatem COMMILITONVM etiam ab intestato interdum peruenire ad commanipulos, aut uexillationem et reliquos cohortales, quasi ex PRAESUMTA VOLVNTATE militis, qui commilitonibus maxime fauere et eodem, quo alios CONSANGVINEOS et cognatos, loco habere existimatur L. 2. et 3. *C. de Hered. Decur*

DVPLICEM igitur fructum habet electitia illa et per ADOPTIONEM NATVRALEM inter milites constituta FRATERNITAS; alterum, ut quae a commilitone in nos profecta sunt, quasi propter commilitium data, iure peculii castrensis censeantur: alterum, quod excluso fisco, si alii magis propinqui deficiant, fratres illi adoptiui superstites ad commilitonis defuncti perueniant hereditatem

AVT omnia me fallunt, aut ex MILITIAE in primis consortio ortae sunt confraternitates illae Germanorum, die Brüderschaften, quae plerisque in locis inter Burgenses et fodales eiusdem opificii contractae sunt, et ab antiquissimis temporibus ad posteròs transmissae. Nimirum Burgenses et opifices illis temporibus, quibus Germania priuatis bellis et atrociniis perturbabatur, plerumque in armis habebantur, ad repellendam a moenibus et officinis suis iniuriam et ad uim exterorum ingruentem ui armata et mutua defensione reprimendam

ERAT igitur inter Burgenses et opifices plerumque quaedam species commilitii, cum pariter in armis exercitarentur, sub communi duce, et per uices omnia onera militum obirent. Sed communicio illa periculorum, laborum et munerum, ut supra ostendimus, parit speciem aliquam fraternitatis, et contubernales facile inquit ad FRATERNVM NOMEN inter se communicandum. Enim uero ipsa uitae simplicitas et communicio laborum, quos sub uno duce, quasi sub PARENTE COMMVNI, et in eodem contubernio, quasi in iisdem laribus, suscipiunt, efficit, ut



ut omnia inter commilitones aperta sint, et dissimulationi et fraudi non facile locus relinquatur. Sed nihil magis allicit ad consortium et FRATERNVM SODALITIVM, quam uitae simplicitas, perquam fraudes et machinationes excluduntur

PLERIQUE igitur Burgenfes et opifices ad eandem militiam simul defensionis causa obeundam sese comparabant, ideoque maxima familiaritate et iure fratrum ac commilitonum utebantur. Hinc euenit, ut FRIDERICO II. Imperatori, conglutinationes illae et confraternitates Burgenfium atque opificum suspectae essent, cum res ad uim spectare uideretur, et timeri posset, ne illa sodalitia, ad uim repellendam instituta, uim patriae inferrent, et Germaniam priuatis bellis ac digladiationibus uexarent. Hinc enata est seueritas illius Edicti,<sup>a</sup> quo FRIDERICVS II. militiam et confraternitates et pleraque collegia Burgenfium et opificum, uel euertit et prohibuit, uel certe arctissimis uinculis adstrinxit. Hoc imitati sunt etiam reliqui Imperatores, in primis CAROLVS III. qui in *Aurea Bulla Tit. XV.* confraternitates illas plerasque detestatus est, donec, *pace publica* studiosius confirmata, bella illa priuata penitus opprimerentur. Sed de hoc argumento, quod diligentissime ab aliis<sup>b</sup> tractatum perpetua disputatio non est huius loci, ideoque sufficiet extremo quasi digito tetigisse, quae ad ius fraternitatis pertinere uidebantur

SED dum de confraternitatibus ex militia deductis trado, non omittendum esset, etiam ad sacram militiam et Clericorum ordines fratrum et confraternitatum nomen tractum et propagatum esse; nisi operam perdituri esse uideremur in re trita et omnibus notissima et a multis aliis excussa. Vnum attinet monere, antiquissimam esse inter Collegas et Prophetas fratris appellationem, cum

<sup>a</sup>) Peter a Ludewig in Commentar. ad A. B. Tit. 25. §. 1. litt. m. p. 123

<sup>b</sup>) Vid. Tattius de Pace publ. C. 14. n. 15. p. 103. et Peter a Ludewig l. c.



cum et tempore VETERIS ANTIQVI<sup>a</sup> in funere Prophetæ alter Prophetæ cum suis hac lamentatione: *Heu frater, ach Bruder*, uterentur. Sed de plerisque confraternitatibus Ordinum diuersorum in primis de fratribus Rosarii B. Virginis, de fratribus Kalendaris, CAROLVS DU FRESNE,<sup>b</sup> FELLERVS<sup>c</sup> et alii complures<sup>d</sup> ex instituto curatius exposuerunt, quos exscribere non uacat

## V

AD OBTEGENDOS TURPES AMORES  
MVLTI ETIAM CLERICI SVBINDE  
FRATRVM ET SORORVM NOMINE  
ABVSI SVNT  
SORORVM ADOPTIO SVSPECTA

FRATRVM igitur sanctissimum nomen ad omnes fere ordines et societates peruenit, atque ad ipsos etiam milites et sacerdotes. Sed sororum adoptio, plerumque suspecta, aliquid monstri alere uidebatur. Neque enim dissimulari potest, Romanos hoc nomine ad obtegendam NEQVITIAM subinde usos esse. Nimirum amasias suas, quibus ius coniugum non darent, id est, concubinas atque meretrices, quasi honestiore nomine, SORORES appellabant. Aperte M. VAL. MARTIALIS<sup>e</sup> FRATRVM et SORORVM NOMINA NEQVIORA esse dixit: quod occultandis turpibus amoribus adhiberentur,

FRATREM te uocat et SOROR uocatur.  
Cur nos nomina NEQVIORA tangunt?

item-

- a) I. Reg. XIII. 13
- b) Carolus du Fresne in Glossario mediæ æui, uoce: *Frater*
- c) Ioachim Fellerus in dissertat. de Fratribus Kalendaris
- d) Bosius de Signis Ecclesiæ Lib. VIII. Gisbertus Voëtius in Tractat. de Confraternitate Mariana, et Henr. Linck. in dissertat. de Confraternitate compotatoria
- e) Martial. L. II. Epigr. 4. n. 3. 4



itemque alio loco<sup>a</sup> SOROREM uxori opponit in amore:

Quare non habeat, Fabulle, quaeris  
VXOREM Themison? habet SOROREM.

Hoc sensu ille apud PETRONIVM<sup>b</sup> amico suo conciliabat sororem ab ipso ADOPTANDAM, ut citra matrimonii uinculuna illam in amoribus haberet. Imo uero TIBVLLVS<sup>c</sup> feminam, cuius amore exarserat, uel in uxoris uel etiam sororis, hoc est, concubinae locum adsciscibat: seque ipsi uel uiri uel fratris loco futurum promittebat:

Haec tibi VIR quondam, nunc FRATER munera mittit,  
Siue sibi CONIVX siue futura SOROR.

imo uero, qui socium sibi nefandae libidinis et turpissimae nequitiae quaerebant, fratrem sibi PROSPICERE,<sup>d</sup> fratrem ELIGERE,<sup>e</sup> dicebantur

SED in primis Clericos accusant HONORIVS et THEODOSIVS l. 19. C. de *Episcop. et Cleric.* quod consortio fororiae appellationis decolorarentur, id est, quod, feminis sub SORORVM nomine a se adscitis, maculam sibi adspargerent, et indignitatem admitterent, quae sanctitatem huius ordinis contaminaret. Ambigi non potest, Imperatorem concubinas intelligere, quarum turpitude nomine sororum tegebatur, constat enim Clericos subinde permissam fuisse, ut VERAS COGNATAS, in primis MATREM et SOROREM, ad se accerferent, quarum ope, res familiaris commodissime administrari posse

E

uide-

a) Martial. L. XII. Epigr. 20

b) Petron. Satyr. c. 127

c) Tibullus L. III. Eleg. I. u. 23

d) Petron. Satyr. 4. 10

e) Id. c. 80.



uidebatur. Has igitur *συνεισαυτους*, id est, simul introductas in monasterium et domos clericorum appellabant et permittente iure, cum nulla esset turpitudinis suspicio, cum illis uersabantur. Sed hi quidem *ἀγαπητάς* substituebant, id est, amafias, quas turpitudinis occultandae causa cognatarum et SORORVM nomine, quamuis extraneae et nulla necessitudine ipsis coniunctae essent, appellabant, ut uiderentur *συνεισαυτοι*, seu cognationis iure simul introductae, utque nulla in illos propter FŒDVS NATVRALE saevi criminis caderet suspicio. Hoc igitur est SORORIAE APPELLATIONIS dedecus et suspecta illa adoptio fororum, de qua eleganter et copiose exposuit DESIDERIVS HERALDVS. \*) Hanc turpitudinem etiam detestatur IUSTINIANVS noster, qui Episcopis omne cum mulieribus domesticum commercium ademit, reliquis clericis sub poena remotionis interdixit, ne quam, praeter COGNATAS, SORORES, MATREM, AMITAM, de quibus nemo suspicari posset, turpitudinis causa illas adscitas esse, domi alerent, et forores appellarent Nou. 123. c. 29. et Nou. 133. c. 3. Eadem fuit Concilii Nicaeni seueritas, qua interdictum est: *Ne Episcopo, ne Presbytero, ne Diacono, uel alicui omnino, qui in Clero est, liceat subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas personas, quae fugiant suspiciones.* Can. XVI. Dist. XXXII.

SED merito indignamur illi saeculo, quod innocentissimi nominis sanctitatem foeda nequitia corruptit. Igitur ad reliqua festinamus

\*) Desiderius Heraldus de Rerum Iudicat. auctorit. L. II. c. 20. in Thesaur. Ottonis Tom. II. p. 1258



## VI

CONDITIO NOMINIS FERENDI VI  
 CONTRACTV SEV TESTAMETO ADIECTA

ITEMQVE OMNES TESTAMENTARIAE ADOPTIONES

CONTINENT SPECIEM ADOPTIONIS NATVRALIS

NEQVE TAMEN EFFECTV CARENT

DESIGNATIO SVCCESSORIS EXTRANEI

EST SPECIES ADOPTIONIS

**R**EDIMVS ex diuerticulo in uiam, et postquam TURPEM  
 CAUSSAM ADOPTIONIS remouimus, totam de HONE-  
 STA adoptione in locum fratris controuersiam expediemus.  
 Quod ut commode a nobis fieri possit, ab instituto nostro non  
 erit alienum, si exposuerimus de honestissima adoptionis causa,  
 ut IMMORTALITATI NOMINIS ET FAMILIARVM consulatur, in qua  
 ueteres magnum momentum Reipublicae uerfari arbitrabantur,  
 neque enim certius credebant ad immortalitatem et aeternam  
 hominum memoriam se commendari posse, quam, si post se  
 relinquerent aliquem, cuius appellatione et nomine sui etiam  
 memoria quotidie repeteretur. Ex hac fere origine deducitur  
 CONDITIO illa NOMINIS FERENDI, negotiis tum inter ui-  
 uos, tum mortis causa, saepe numero a ueteribus adiecta. Ne  
 quis enim existimet, Romanos hoc inter leuia officia retulisse,  
 ut nomen ipsorum ab aliis feratur; admonendum est, quosdam  
 etiam IURISVRANDI fidem ab illis exegisse, quibus nomen  
 suum imponi uolebant, ut doceamur, ipsos de hoc honore,  
 quasi de re ardua et graui sollicitos fuisse. Supra enim ex VI-  
 PIANO obseruatum est, non neminem centum spondidisse, si  
 alter IURASSET, se nomen eius laturum esse. l. 19. §. 6. D. de  
*Donat.* Ex quo loco intelligitur, etiam negotiis, inter uiuos contra-  
 ctis, hanc conditionem interdum adiectam esse, ut quis nomen



alterius ferret. Neque uero locus est dubitationi, esse hanc speciem NATURALIS ET PACTITIAE ADOPTIONIS. MARCVS enim TVLLIVS<sup>a</sup> docet, quod adoptionem HEREDITAS NOMINIS sequatur. Sed, si haec est adoptio; magis uidetur illa esse adoptio IN LOCVM FRATRIS, quam in locum filii et nepotis, quandoquidem nulla aetatis ratio habita est in eligendo illo, quem ueteres nomen suum ferre uoluerunt; cum, si haec esset adoptio in locum filii, conditio ista non admissa esset, nisi adoptans alterum octodecim annis superasset. Certe nomen cognationis et sanguinis cum illis communicamus, quos NOMEN nostrum ferre in posterum iubemus, illisque quasi locum et gradum quendam in familia assignamus, propter quem hereditas nominis ad ipsos possit peruenire. Quod ut Luculentius intelligatur, obseruandum est hoc loco, cum hereditate nominis plerumque etiam bonorum hereditatem relictam esse illis, quibus quis nominis sui ferendi imposuerit necessitatem. Idem enim MARCVS TVLLIVS<sup>b</sup> indignatur illis temporibus, ubi quis nomen alterius ferre iussus erat, cum bona ad alium heredem peruenissent. Apparet igitur cum nomine etiam bonorum hereditatem plerumque coniunctam fuisse, ut in adoptionibus ciuilibus, quas nominis et bonorum hereditas sequitur. Maxime autem in testamentis et heredum institutionibus frequentata est illa CONDITIO NOMINIS FERENDI, cum plerique in ultimis uoluntatibus cogitent de nominis sui immortalitate. GAIVS autem certe probat hanc conditionem, et recte facturum esse heredem, si impleuerit conditionem; cum NIHIL MALI sit honesti hominis nomen assumere, l. 63. §. 10. ad *SCrum Trebellian.* Vnam speciem GAIVS excipit, si quis nomen FAMOSVM ET TURPE ferre iubeatur, quod MARCIANVS l. 7. D. *eod.* de nomine Vispellionis uidetur interpretari; tunc enim remittenda est condi-

<sup>a</sup>) Cicero: pro Dom. c. 13.  
<sup>b</sup>) Id. de Offic. L. III. c. 18



tio a Praetore, et bonorum possessio secundum tabulas impetranda, ut heredi liceat repudiare conditionem nominis ferendi. d. l. 63. §. 10. ad *SCtum Trebell.* MARCVS TVLLIVS<sup>a</sup> etiam dubitat, rectumne sit nobili adolescenti, MVTARE NOMEN EX MVLIERIS testamento. Sed GALBA etiam a NOVERCA, Liuia, adoptatus est, et nomen eius ferre iussus paruit conditioni, et praenomen suum mutavit, quod SVETONIVS memoriae prodidit<sup>b</sup>

PROBAVERVNT igitur ueteres magistri artis nostrae hanc adoptionis naturalis speciem, neque omnem fructum illi ademerunt, sed parendum esse conditioni censuerunt, quamvis nulla solennitas ciuilis interuenisset in hac adoptione

ELEGANTISSIMAM adoptionis naturalis speciem habet PAVLLVS l. 132. D. de *Verb. oblig.* in qua quis filium alterius SINE SOLENNITATE CIVILI sola stipulatione poenali adiecta SVSCEPERAT hac lege, ut illum non aliter, quam filium, obseruaret; sin secus fecisset certam pecuniae quantitatem promiserat illi, qui filium tradiderat. Et PAVLLVS quidem certe admittit illam stipulationem eamque adoptioni legitimae opponit, ut appareat, PAVLLVM de ADOPTIONE NATVRALI, QVAE A CIVILI SEV LEGITIMA DISTINGVITVR, SENSISSE. Igitur cum non credat nullius momenti esse naturalem hanc adoptionem, tradit, pecuniam et poenam promissam deberi, si adoptans filium sine iusta causa domo expulerit et deseruerit officium parentis

SED, ut diximus, plerumque TESTAMENTARIA erat haec adoptio, quae rectius refertur ad adoptiones naturales, quam ad ciuiles. Deest enim adoptioni testamentariae, qua quis filius nominatur et nomen ferre iubetur, deest, inquam, solennitas ciuilis, sine qua efficaciter iure ciuili adoptare non

E 3

possu-

<sup>a</sup>) Cicero. Epist. ad Attic. VII, 8

<sup>b</sup>) Sueton. in Galba c. 4



possumus. Hinc OCTAVIUS AVGVSTVS postquam intellexit, se ab auunculo in testamento adoptatum esse, hanc adoptionem lege curiata confirmari iussit, ut more maiorum adoptatus esse uideri posset.<sup>a</sup> Imo uerò cum etiam mulieres in testamento quosdam adoptauerint sub conditione nominis ferendi, illis temporibus, quibus feminae iure ciuili adoptare non poterant, ut ex loco CICERONIS proxime adducto intelligitur; dubitari non potest, hanc adoptionem testamentariam non CIVILEM sed NATVRALEM fuisse, et tamen uim quandam habuisse, quia implenda fuit illa conditio nominis ferendi. Sed de hac quidem RADVLPHVS FORNERIUS<sup>b</sup> et in primis BARNABAS BRISSONIVS<sup>c</sup> luculenter exposuerunt

ACCEPISTI species adoptionis NATVRALIS a Romanis approbatae et cum fructu aliquo coniunctae. Ausim affirmare, quoties quis ab altero, etiam inter uiuos atque in re certa, SUCCESSOR designatur, in primis sub NOMINE SANGVINIS, hanc esse IMPLICITAM adoptionem. Successio enim ad illos naturaliter refertur, qui ex eadem stirpe nobiscum descenderunt, aut certe ad nostram familiam pertinent: ut uideatur ille quasi in familiam receptus, quem successorem eligimus, et cui res nostras destinamus. Huc referrem IVS SIMVLTANEAЕ INVESTITVRAE, qua extraneus successor ADOPTATVR, ad quem perueniat feudum nostrum, quod, si regulam sequeremur, ad illos duntaxat pertineret, qui a primo acquirente originem duxerunt, sed hoc unum huic adoptioni deest, quod simultanee inuestitis non semper nomen cognationis et sanguinis tribuitur, quamuis ad successionem in feudum admittantur. Eodem exemplo

a) Appianus Bell. ciuil. III. p. 586

b) Fornerius Rerum quotid. L. V. c. 17. in Thesaur. Otton, Tom. II. p. 269

c) Brisson. de Formul. L. VII. c. 26. p. 574



exemplo Augustissimus Legislator noster in Edicto<sup>a</sup> de contractu uitalitio, quod antea adduximus, hanc QUASI ADOPTIONEM appellat, cum SVCCESOREM, ad quem fructus ex contractu uitalitio perueniat, arbitrio nostro ELIGIMVS et designamus. LVCULENTISSIMA species eiusmodi adoptionis, qua successor designatur, apparet in FACTIS CONFRATERNITATIS; in denen Erbverbrüderungen, quibus PRINCIPES et STATUS imperii R. G. mutuam successionem cum defensione mutua inter se paciscuntur et NOMEN SANGVINIS, id est, FRATRVN adiiciunt, quae uera natura est pactitiae adoptionis. Dignum esset argumentum, quod exsequeremur, nisi hoc a centum aliis occupatum esset

## VII

ADOPTIO IN LOCVM FRATRIS

NON EST MONSTROSA

SED VMBRA NATVRAE

ET COMMODIOR INTERDVN QVAM ADOPTIO

IN LOCVM FILII

**T**ENES iam fere omnia, opinor, quae pertinent ad dirimendam controuersam, quam tractamus. Superest, ut ipsam hanc speciem a nobis propositam ex illis, quae adhuc disputata sunt, excutiamus

**N**IMIRVM: Duo amici inter se PRIVATIM PACTI SVNT, VT ALTER APVD ALTERVM FRATRIS LOCVM OBTINET, perinde ac si utrique EX EODEM PATRE ET EADEM MATRE PROGENITI EVISSENT. Quaesitum est, utrum

VTILI-

a) Vid. Edictum von der Leib- auch Familien-Renten-Negotiation §. 20

b) De Pactis confraternitatis uid. Goldastus de Regn. Bohem. L. VI. c. 18. p. 719. Peter a Ludewig in Comment. ad A. B. P. I. p. 449. et Heineccius in Iur. Germ. Tom. I. p. 91. 92



UTILITER pacti esse uideantur, UT ADMITTI POSSIT ILLA ADOPTIO, ET FRUCTVM ALIQVEM FARIAT INTER FRATRES ADOPTIVOS. Dubitabatur, I. quia adoptio debet naturam imitari, et PRO MONSTRO esse uideatur, QVEMQVAM SIBI IPSI FRATREM GENERARE, cum fratrem ex thoro et beneficio patris atque matris expectare debeamus. Et maxime mouebat II. DIOCLETIANI et MAXIMIANI auctoritas, qui l. 7. C. de Hered. instit. rescripserunt: Nec apud peregrinos posse sibi quenquam omnino fratrem facere per adoptionem, ideoque fratrem illum hoc modo quasi adoptatum ad successionem non admitti, sed IRRITAM ESSE HANC ADOPTIONEM. Accebat III. quod frater fratrem in potestate habere nequeat, adeoque in hac specie praecipuus fructus adoptionis cessare uideatur

HABES causam dubitandi, sed respondemus: NATURALEM ESSE HANC ADOPTIONEM ET EVM FRUCTVM HABERE, UT FRATRES ADOPTIVI IVRE SOCIORVM ET AEQUALITATIS ET FAMILIARITATIS SINGVLARIS INTER SE VTANTVR: Ceterum, HANC ADOPTIONEM IVS SVCEDENDI AB INTESTATO NON TRIBVERE FRATRIBVS ADOPTIVIS, nisi PACTVM SVCCESORIVM efficaciter inter illos CONTRAHATVR, neque fratres adoptiuos ad IVRA FAMILIAE admitti, nisi A PRINCIPE adoptio fratris CONFIRMETVR, et CONSENSVS illorum, QVORVM INTEREST, accedat. Quod quibus rationibus confirmari possit, breuiter dispiciemus

NIMIRVM NATURALIS ADOPTIO, quod supra §. III. p. XIX. docuimus, est electio personae in locum cognati, sub nomine sanguinis, sine ciuili solennitate, quae electio effectum habet pro facultate adoptantium. Vides haec omnia IN ADOPTIONEM FRATRIS conuenire. Fratri enim adoptiuo LOCVS COGNATI assignatur, NOMEN SANGVINIS ipsi tribuitur, neque Principis, neque magistratus auctoritas, quae SOLENNITATEM ciuilem



lem maxime absoluit, adhibetur, sed res intra consensum adoptantis et adoptati subsistit: Neque tamen inanis est, NEQUE INVUTILIS, cum omnes actus PRO FACVLTATE AGENTIVM uim aliquam et fructum nanciscantur, quod supra §. III. et IIII. exemplo sociorum, sodalium et commilitonum aliisque argumentis a nobis comprobatum est. Ius autem succedendi DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS adoptiuis fratribus adimunt, l. 7. *C. de Hered. instit.* neque fingi potest ius ab intestato succedendi, nisi illud quibusdam personis LEGE, uel ex Germanorum moribus PACTO SVCCESORIO, eoque efficaciter contracto, uel BENEFICIO PRINCIPIS, deferatur: neque iura familiae et priuilegia singularia, nisi ex principis uoluntate, qui familias priuilegiis ornare potest, a priuatis in alios transferri possunt, quapropter adoptiui fratres IVS NATALIUM et INSIGNIUM, sine auctoritate principis, consequi non possunt: sed si PRINCIPIS auctoritas accedat, dubitari nequit, quin fauentur uicia adoptionis, et ex illa confirmatione adoptio uim plenam nanciscatur: quandoquidem auctore MARCELLO, adoptio non iure facta a principe confirmari potest, l. 38. *D. de Adopt.* principis autem beneficio nemini IVS QVAESITUM facile adimitur, l. 4. *C. de Emancipat.* quapropter et confirmationem principis et CONSENSUM illorum, QVORVM INTEREST, desideramus, ut adoptio in locum fratris facta, iure adoptionis legitimae et ciuilitate perfecta censetur

NON esset difficile, haec omnia plenius et explicatius exponere, nisi res postularet, ut antea dubitationes illas, quarum mentio a nobis iniecta est, dilueremus

ET primo quidem nobis obstare uidebatur, quod adoptio NATVRAM IMITARI debeat, ne PRO MONSTRO habeatur, quod IAVOLENVS praecipit l. 16. *D. de Adoption.* et IUSTINIANVS §. 4. *Instit. eod.*

F

VERVM



VERVM enim uero, res salua est, et ipsa amicitia, seu adoptio naturalis in locum fratris, est VMBRA quaedam naturae et fraternitatis, quod QVINCTILIANVS<sup>a</sup> ait, et ipsa societas ac uitae consuetudo habent naturalem speciem FRATERNITATIS, l. 63. D. *pro socio*, ut nihil monstri habeat, si amicum et focium in locum fratris adfiscamus. Res erit luculentior, si exposuerimus, quid IUSTINIANVS MONSTROSVM et NATVRAE ADVERSVM dixerit in adoptione. Nimirum, in adoptionibus et omnibus FICTIONIBVS iuris hoc demum MONSTROSVM est, si FINGAMVS aliquid, ad quod efficiendum uires naturae simpliciter et absolute non comparatae sunt, seu QVOD PER RERVN NATVRAM EFFICI non posset, quamuis omnia media in promptu essent et adhiberentur: seu quod in ipsa definitione sua CONTRADICTIONEM continet: ut, si quis fingeret, hominem, natu MAIOREM, esse filium eius, qui natu MINOR est, et a minore generatum, hoc enim natura nunquam efficere posset, quamuis omnia media adhiberentur: ideoque adoptio filii, natu maioris, a minore suscepta dicitur monstrosa, quia adoptio debet naturam imitari. Sed ad imitationem naturae hoc non desiderat IUSTINIANVS, ut omnia illa PROXIME et IMMEDIATE adsint, et inueniantur in adoptantibus, quae NATVRALITER adesse deberent, si adoptandus a natura in illo gradu familiae constituendus esset, in quem ille adoptatur. Hoc enim, si posceremus, multa MONSTROSA admissa essent a IUSTINIANO in adoptionibus. Si postulas exempla, illa non longius accersenda sunt. Ecce enim: potest quis in locum filii adoptare, QVI VXOREM NON HABET, l. 30. D. *de Adopt.* quae uxor tamen NECESSARIO et IMMEDIATE desideraretur, si quis uellet naturaliter filium habere. Eodem pertinet, quod quis possit in locum nepotis adoptare, quasi EX INCERTO FILIO, quem non habet, l. 43. D. *de Adopt.* quamuis, nisi filius interueniat, cogitari non

\*) Quinctil. Declam. 321. pr.



non possit de nepote. Ex quibus locis intelligitur non requiri in adoptionibus, ut illa IMMEDIATE et PROXIME in promptu sint, quae deberent adesse, si adoptandus naturaliter obtinere uellet locum illum in familia, quem ipsi assignamus. Certius est, ad IMITATIONEM NATVRAE hoc duntaxat requiri, ut adsint REMOTA illa INSTRUMENTA, sine quibus naturaliter effici non posset, ut adoptandus ex familia nostra sanguinem et originem duceret. Sic in adoptione filii sufficit FACVLTA S GENERANDI, quamuis uxorem quis non habeat, quae IMMEDIATE ad sobolem procreandam requiritur. Sic in adoptione nepotis hoc unicum uidetur necessarium, ut EA AETATE sit adoptans, in qua posset filium habere, qui ipsi nepotem generare potuisset, et hunc octodecim annis aetatis superaret, quamuis auus sibi ipse nepotem sine filio naturaliter facere non possit

QVA re apparet, nihil monstri inesse in hac adoptione, per quam quis in locum fratris adsciscitur. Qui enim adoptat in locum fratris, in promptu habet REMOTA illa instrumenta, ex quibus ipsi frater naturaliter enasci potuisset. Quilibet enim adoptans habet, uel certe habuit parentes, patrem atque matrem, qui fratrem procreare potuissent, quamuis ipse nequeat immediate fratrem sibi facere per generationem. Itaque, si quis potest filium habere sine uxore, et nepotem sine filio, modo facultatem generandi habeat; profecto poterit quis fratrem adoptare, quamuis ipse sibi fratrem efficere nequeat, modo patrem et matrem habuerit, ex quorum thoro frater prodire potuisset. Non enim fingimus, quod frater adoptiuus A NOBIS sed quod A PARENTIBVS NOSTRIS generatus sit

IGITVR extinctum est illud MONSTRVM, quod quidam in adoptione fratris sibi effinxerunt. Sed grauius nobis obstat difficultas illa, quam *secundo loco* adduximus et imperatores l. 7. C. de Hered. instit. nobis obiecerunt. Hi enim abscessisse negant, posse sibi quemquam omnino FRATREM FACERE PER ADOPTIONEM. Sed facile tibi eximetur illa dubitatio, si cogitaueris



ris imperatores d. l. 7. *C. de Hered. instit.* non de NATURALI effectu adoptionis in locum fratris disputare, sed de iure successionis, quod ex IVRE CIVILI deducitur et sine solennitate aut principis auctoritate acquiri in familia non potest, quod ipsis facile largimur

PERVENIO ad *tertiam causam* dubitandi, dum quis possit obmouere, quod FRATER FRATREM IN POTESTATE PATRIA HABERE NEQUEAT, adeoque extraneum in locum fratris adoptare non posse uideatur. Sed ut uerum fatear, hoc nihil me perturbat. Nimirum, etiam IVRE CIVILI uariae species adoptionis admissae sunt, IN QUIBUS POTESTAS PATRIA NON ACQUIRITUR ab adoptante. Quid enim dicemus de adoptione minus plena, cum pater naturalis dat filium extraneo in adoptionem. Aperte IUSTINIANVS rem definit, et nihil, ait, transire ad patrem adoptantem, sed intactum manere ius patris naturalis, filio autem adoptiuo ius succedendi acquiri ab intestato per adoptionem, §. 2. *Instit. de Adopt.*

Ex his intelligetur, RATAM esse adoptionem, quamuis per illam ius potestatis patriae non acquiratur. Opportune occurrit exemplum MULIERVM, quae interdum ADOPTARE POSSUNT, quamuis nec naturales liberos habeant in potestate, sed permiserunt tamen feminis Principes, ut in solatium liberorum amissorum alios in illorum locum adoptarent, perinde acsi ex ipsis et maritis earum filii progeniti fuissent, l. 5. *C. de Adopt.* Et hoc saepius accidisse, ut mulier, in primis nouerca, priuignum aut alios in locum filiorum adoptaret sine patria potestate, supra §. VI. p. XXXVII. ostendimus

QVAE cum ita sint, adoptioni in locum fratris praecepta iuris ciuilis non prorsus aduersari, merito censemus; quamuis dissimulari non possit, illam, quoad effectus ciuiles, habere aliquid difficultatis, quae tollitur per Principis confirmationem, l. 38. *D. de Adopt.*

EXTRE-



EXTREMO, ne quis hanc in locum fratris adoptionem superuacaneam esse arbitrerur, cum eadem commoditas per adoptionem in locum filii sine illa difficultate obtineri posse uideatur; hoc loco admonendum est, multas commoditates inesse in adoptione fratrum, quae frustra quaesueris in adoptione liberorum, illamque multis incommodis carere, quae adoptionem in locum descendantium necessario sequuntur. Enim uero, SOCIVM quaerimus, dum fratrem adoptamus, sed societas aequalitatem aliquam desiderat et pares aut inuenit, aut facit. Ex hac aequalitate nascitur aliquod ius FAMILIARITATIS et confortii, cuius anima est communio quaedam iurium et rerum et summa uoluntatum consensio. Haec omnia non conueniunt societati parentum atque liberorum, cum patres quaedam feueritas et grauitas amore temperata, filios reuerentia deceat, qua patrem uenerentur. Sed grauitate et reuerentia non parum detrahitur iucunditati domesticae societatis

HABES causas, cur adoptionem fratrum omnibus aliis cognationibus fictitiis praeferas. Praeterea, adoptio fratrum illis incommodis non urgetur, quae adoptionem filiorum molestam facere uidentur, filios alere tenemur, ut dignitas familiae postulaerit: fratribus, non nisi in paucis quibusdam speciebus, alimenta necessaria subministrantur: denique necessitas liberis portionem legitimam relinquendi in parentibus multo arctioribus uinculis adstricta est, quam in fratribus, qui fratres praeterire possunt, et honestas ipsis personas libere praeferre

IMO uero, ne quid omittam, fraternitas, si naturam sequamur, non solum iuniorem admittit, sed etiam natu maiorem aut aequalem, sine discrimine aetatis, cum natura nobis et seniores fratres, et geminos offerat et iuniores. Hoc unicum natura desiderat, ut frater adoptiuus octodecim annis minor sit patre adoptantis; utque fingere possimus, patrem adoptantis



hunc fratrem adoptiuum generasse. Contra, filiorum adoptio in illis tantum locum habet, quos adoptans octodecim annis superat, et non admittitur, si quis uel natu maiorem quaerat filium, uel etiam aequalem. Igitur possunt quaedam opportunitates obuenire, in quibus adoptio filii non permittatur, adoptio autem fratris nihil habeat difficultatis. Ceterum immortalitas nominis et familiae per fratres adoptiuos, qui nomen nostrum ferunt, non minus commode, quam per liberos in familiam receptos, propagatur

## VIII

FRATER NATURALITER ADOPTATVS  
 TANQVAM SOCIVS RECIPITVR  
 ET AD SVMMAM FAMILIARITATEM ADMITTITVR  
 HINC ACTIO INIURIARVM ET FVRTI  
 VIX LOCVM HABET INTER FRATRES ADOPTIVOS  
 DELICTA INTER ILLOS NON PRAESVMVNTVR  
 EX DEBITO DAMNANTVR IN ID  
 QVOD FACERE POSSVNT  
 RENVNCIATIONE TOLLITVR HAEC ADOPTIO

**C**VM igitur ex his causis multi malint fratrem adoptare, quam filium; uideamus quem fructum pareat illa naturalis adoptio sine principis confirmatione, omnia scilicet fratrum iura singularia per illam acquiruntur, quae sunt in ipsorum fratrum potestate, ut supra demonstratum est. In primis uero uidentur in societatem et arctissimam familiaritatem recipi, quos fratrum nomine adoptamus. Enim uero, cum ipsa societas uim in se habeat fraternitatis l. 63. D. *pro socio*; nihil prohibet, quo minus dicamus in fraternitate contineri ius aliquod SOCIETATIS. Obiicis forte, inter socios desiderari bonorum aliquam] COLLATIONEM, fratres autem adoptiuos non semper CONFERRE pecuniam.



cuniam. At certe CONFERVNT ac promittunt inuicem mutua studia, open, auxilium, quibus communia commoda societatis domesticae promoueantur. Qui uero operam, industriam et gratiam conferunt in societatem, non minus conferre censentur, quam, qui pecunias afferunt, quod VLPIANVS docet l. 5. et 29. §. 1. D. *pro socio*

IGITVR in societatem nostram ueniunt illi, quos tanquam fratres adoptamus, ideoque sociorum iure merito censentur, sed praecipuus fructus est societatis, QVOD NON FACILE INTER SOCIOS DELICTA PRAESVMANTVR, propter summam consensionem animorum, quae peperit societatem. Qua re efficitur, ut si quid durius et incontinentius gestum sit, hoc magis ex errore et leuitate et imbecillitate animi, quam ex studio nocendi profectum esse iudicetur. Hoc argumento frater ille, apud QVINCTILIANVM,<sup>a</sup> utitur, ut suspicionem dilueret, sibi obiectam, quod fratrem ueneno peremisset

EX eodem fonte deriuatur, quod nec iniuriarum actio dari possit fratribus adoptiuis, propter leuas quasdam offensiones, quae inter personas coniunctas potius iurgii, quam litis rationem habent, l. 5. C. *Finium regund.* ideoque non facile continent CONFUMELIAM, ex qua naturae iniuriae aestimatur. Ipsa enim actio iniuriarum EX AEQVO ET BONO deducitur et causae cognitionem desiderat, ut RATIO etiam PERSONARVM HABEATUR, ex qua iudicandum est, quid in contumeliam alterius susceptum uideri possit, l. 11. §. 1. et l. 18. pr. D. *de iniur.* Hinc nec liberto datur contra patronum actio iniuriarum, nisi ATROCES fuerint, cum domestica familiaritas suspicionem doli et contumeliae excludat et atrocitas iniuriae EX PERSONIS aestimetur l. 7. §. 2. et 8. *d. eodem.* Quapropter si quid inter personas familiarissimas obuenerit, quod durum et acerbum uideri possit,

<sup>a</sup>) Quintilianus Declam. 321



possit, magis illud ex calore iracundiae, quam ex consilio sub-  
 natum esse iudicabimus l. 5. C. *de iniur.*

NON multo fecius de actione furti habendum est, quae  
 nec inter socios facile locum habet, neque inter fratres adopti-  
 uos propter summam familiaritatem et communionem, quae  
 efficit, ut socium magis communionis contemplatione, quam  
 lucrificandi animo, res nostras contraclasse arbitremur. Certe,  
 si VLPIANO obsequamur, non facile credendum est, socium  
 furti consilium inire, qui potius iure familiaritatis usus fuisse  
 censetur l. 51. pr. D. *pro socio*, quandoquidem ipsa VITAE SO-  
 CIETAS fratres adoptiuos quodammodo dominos facit rerum  
 fraternarum l. 1. D. *rerum amotar.* Certe HARMENOPVLVS <sup>a</sup>  
 expresse fratrem excipit, ne furti teneatur, quod in primis ue-  
 rum est, si pacto successorio fratribus adoptiuus spes facta sit  
 mutuae hereditatis. <sup>b</sup> Sed hanc controuersiam MARQUARDVS  
 FREHERVS <sup>c</sup> diligentissime tractauit

Ex eodem SOCIETATIS IVRE, quo fratres inter se uti  
 solent, deriuatur, quod alter alteri ex debito non semper in so-  
 lidum, sed IN ID, QVOD FACERE POTEST, condemnetur,  
 quod SABINO placuit et VLPIANO, etiam si non sint socii  
 uniuersorum bonorum, sed unius tantum rei, quod summam  
 rationem habere dicitur propter ius fraternitatis, l. 63. pr. D.  
*pro socio.* Neque enim idem VLPIANVS nos perturbat l. 16.  
 D. *de Re iud.* quae lex ex iisdem libris VLPIANI ad edictum de-  
 sumpta est, ex quibus l. 63. D. *pro socio* prouenit. Probabilis uero  
 est illa emendatio MARQUARDI FREHERI, <sup>d</sup> qui, interiecta uo-  
 cula

a) Harmenopulus L. I. Tit. 3

b) Vid. Ordin. Criminal. Carol. Artic. CLXV. So einer etwas nimmt  
 von Gütern, deren er ein nächster Erbe ist

c) Marquardus Freherus Parerg. L. I. c. 5. in Thef. Otton. T. I.  
 P. II. p. 867

d) Marquardus Freherus l. c.



cula non, etiam in l. 16. D. de Re iud. socios tam vniversorum bonorum, quam unius rei, intelligit, ut in id, quod facere possint, contemnentur. Certe frater efficere debet, ne frater egeat, quod PAVLVVS desiderat inter illos, qui arctiori uinculo coniuncti sunt, l. 19. §. 1. D. de Re iudic.

QVONIAM uero in societatem incidi, ex cuius iuribus ius fratris adoptiui aestimatur, uenit in mentem, inter socios quidem foedus contractum dirimi poenitentia tempestiua et RENUNCIATIONE. l. 63. in fin. et 65. §. 3. D. pro socio. Igitur tentabimus, an frater se possit sejungere a fratre adoptiuo, si uideat fratri secum non satis conuenire. Nimirum censeo, in hac quaestione tractanda distinctionem admittendam esse. Aut enim SIMPLICITER frater a fratre receptus est, aut cum poenali stipulatione, quae in hac specie tutissima uidetur, quod, si illum non tanquam fratrem obseruauerit, certam pecuniae quantitatem soluere uelit fratri adoptiuo, aut denique pactum successorium adoptioni sine conditione adiectum est. Dicemus enim, si non adiecta poena et sine pacto successorio frater adoptatus sit, nihil mutatum esse ex communi natura omnium societatum, quae, si dolus malus abfuerit, simplici RENUNCIATIONE dissoluuntur. d. l. 63. in fin. et 65. §. 3. D. pro socio. Aliter sentiendum, si poenam promiserit adoptans, PAVLVVS certe in specie non dissimili, ait, stipulationem committi et poenam deberi, si adoptans, sine iusta causa, DOMO EXPULERIT adoptatum, cui poenam promiserat in eum casum, quando ipsum aliter, quam cognatum, obseruasset. l. 132. D. de Verb. oblig. Igitur in hoc casu, sine iusta et insigni causa, RENUNCIATIO ius fratris adoptiui non dissoluet. Denique, si pacto successorio simpliciter et absolute successio mutua efficaciter promissa sit, a fide pacti neuter discedere poterit, nisi mutuo dissensu uterque rationes suas separauerint, et alter alteri remisit ius succedendi

G

EXTRA



L DE ADOPTIONE

EXTRA has species igitur renunciacione tollitur etiam fraterna societas inter fratres adoptiuos antea contracta. CORNELIVS TACITVS<sup>a</sup> auctor est, plerofque olim amicitiae, cuius ipfos poenituerit, per epistolam, qua IVS AMICITIAE amico REMISERINT, sollemniter renunciaffe. Qua formula, si SVE-TONIVM<sup>b</sup> audias, amico repudiato etiam domo interdicebatur. Non alienum est ab hoc loco, quod etiam ZACHARIAS<sup>c</sup> diuinus uates, iussu Dei immortalis, fracto baculo, quem manu tenerat, sustulerit illam, qua domus Iudae et Israëlis naturaliter coniungebatur, gentilitiam fraternitatem

VIII

ADOPTIO NATVRALIS IVS SVCCEDENDI NON TRIEVIT  
 NISI PACTVM SVCCESSORIVM ADIECTVM FVERIT  
 AVT NISI CONFIRMATIO PRINCIPIS ACCESSERIT  
 HAEC TAMEN STRICTAM INTERPRETATIONEM DESIDERAT  
 IGITVR NEC HAEC TRIEVIT IVS NOBILITATIS  
 ET INSIGNIVM  
 NEC SVCCESIONEM IN BONA RELIQVORVM AGNATORVM  
 NISI HAEC IVRA EXPRESSE COMMEMORATA SINT  
 ET AGNATI CONSENSERINT

TRADIDIMVS, quae quis iura fraternitatis sperare possit ex naturali et pactitia adoptione. SVPEREST, ut extremis digitis tangamus, QVAE IVRA NON TRANSEANT AD FRATREM ADOPTIVVM. Et PRIMO quidem uidebimus DE SVCCESIONE IN BONA FRATRIS ADOPTANTIS. Imperatores 1.7. C. *de Heredit.*

<sup>a</sup>) Tacit. Annal. L. II. c. 70

<sup>b</sup>) Sueton. in August. c. 66

<sup>c</sup>) Zacharias Prophet. XI, 14.



*Heredib. instit.* fratrem, qui VELVT ADOPTATVS, in familiam irreperit, excludunt ab hereditate, quamuis enim summa sit huius legis obscuritas, et illa in primis de specie singulari accipienda uideatur, cum quis hereditatem amico per errorem, uelut adoptato fratri, quem adoptatum putauerat, reliquisset; illud tamen intelligitur, non fauere imperatores successioni fratris adoptiui, et habet rationem illorum sententia, quia hereditas non nisi lege, testamento, aut apud Germanos pacto successorio acquiri potest. Igitur cum lex adoptiuis fratribus non succurrat, deficiente testamento efficaci, pacto successorio opus est, quo adoptans successionem promittat fratri adoptiuo. Non ignoro quidem DIOCLETIANVM et MAXIMIANVM ne huic quidem pacto inter priuatos locum facere, quamuis inter fratres conuenerit, ut ad superstitem perueniret hereditas bonorum, l. 19. C. de Pactis, ex qua lege frustra FRATRES ADOPTIVI EX PACTO SUCCESSORIO SPERARENT COMMODOVM HEREDITATIS. Sed, quod fatentur fere omnes,<sup>a</sup> communi Germaniae consuetudine, etiam inter priuatos, recepta sunt pacta successoria, quae illos, qui consenserunt, perfecta obligatione deuinciunt.<sup>b</sup> Pactum autem successorium luculentum, et quod dubio careat, desideramus. Quamuis enim omnes adoptiones in primis eo tendant, ut hereditas nominis pariter ac bonorum perueniat ad adoptiuum; tamen adoptio fratris, quae a regula communi adoptionum discedit, stricte accipienda est, et trahi nequit ad successionem, nisi de illa speciatim conuenerit in formula adoptionis

G 2

SED

- a) Wenerus in uoce: Bruderschaft, impugnat pacta successoria et regem doctorum allegat, qui contra pacta illa disputant
- b) Pacta successoria affirmatiua, quae non pertineant ad hereditatem tertii non consentientis, defendit de Berger Oecon. Iur. L. 11. Tit. 4. §. 48. n. 1. Peter a Ludewig in Comment. ad A. B. Tit. 7. litt. V. n. 4. et Heineccius in Iur. German. Tom. I. p. 91. 92



SED quid fiet, SI A PRINCIPE CONFIRMATA fuerit ILLA IN LOCVM FRATRIS adoptio? respondeo, hac confirmatione adoptionem naturalem in CIVILEM et LEGITIMAM mutari. Licet enim largiamur hanc adoptionem discedere a iuris regula, quae tantum personas quoddam IN LOCVM DESCENDENTIVM adoptare permittit, ut adeo adoptio fratris NON IVRE FACTA uideri possit; tamen adoptio non iure facta a principe efficaciter confirmari potest, si MARCELLVM audimus, l. 38. D. de Adopt.

IAM igitur legitima et ciuilis erit illa in locum fratris adoptio, postquam a Principe confirmata est, ex quo conficitur, si fratres adoptiui generali formula, ac si ex eodem patre et eadem matre progeniti fuissent, societatem inierint, et Principis confirmatio accesserit, fratres illos eodem iure, quo fratres naturales, censendos esse in successione. Ergo et praeteriri frater adoptiuus poterit in testamento, si non turpis persona ipsi praefatur, cum et fratres, quos natura nobis adiunxit, illud aequo animo ferre debeant, si heres extraneus ipsis praefatur, nisi fratres expresse pacti sint de mutua successione. Ab intestato igitur succedent, si non a liberis defuncti, aut etiam a parentibus, in Saxonia in primis, excludantur. Nimirum CERTA spes successionis pacto successorio quaerenda est. Neque tamen haec pactio ad feuda pertinebit, nisi tum ipse dominus directus, etiam feudi conferendi causa, illam confirmauerit et feudi mentionem fecerit in confirmatione, tum reliqui etiam AGNATI et in Saxonia SIMULTANEE INVESTITI, ad quos spes feudi pertinuerat, confererint in hanc successionem

CETERVM, utcumque accesserit confirmatio principis, tamen quia a iuris regula discedit haec adoptio, STRICTE ILLAM INTERPRETABIMVR. Hinc NEMO IVRA NOBILITATIS, FAMI-



FAMILIAE et INSIGNIVM transferet in fratrem adoptivum, nisi Princeps, qui ius nobilitandi habeat, expresse etiam, quoad ius nobilitatis et insignium, confirmaverit fraternam hanc adoptionem

PRINCEPS igitur, a quo NOBILITAS etiam NOVI-TER, cum IVRE INSIGNIVM tribui posset fratri adoptivo, qui nondum fuerit nobilis, princeps, inquam, confirmare potest adoptionem fratris, etiam huius effectus causa, ut NOBILITAS et INSIGNIA, quae alias ad solos descendentes legitimos aut die ehelichen Leibes-Erben propagantur, perveniant ad adoptivum. Sed num CONSENSVM etiam AGNATORVM desiderabimus, ut frater adoptivus ius insignium et nobilitatis consequatur. Certius est, AGNATORVM CONSENSV OPVS NON ESSE, quia, ex perfecto iure, ILLORVM NON INTER-EST, cum quo iura nobilitatis et insignium communicentur, et quia ipsi principem prohibere nequeunt, quo minus noviter: ut diximus, fratri nobilitatem et eadem, quae agnati habent, insignia, tanquam fons omnis dignitatis, liberaliter concedat

In reliquis autem negotiis, in quibus aliquid detrahitur de iure perfecto, ab agnatis antea acquisito, nihil nocebit agnatis illa adoptio, quamvis a principe sit confirmata, ideoque nec succedet frater adoptivus reliquis agnatis, qui non consenserunt in adoptionem et pactum successorium, quod adoptioni adiectum est. Quamvis enim CELSVS l. 7. D. de Adopt. agnatorum consensum in adoptione non requirat; hoc tamen non eotrahendum est, ut agnatis etiam ius quaesitum extorqueri possit, si de illorum praedicio agatur. Hoc enim ne fiat, naturalis ratio et communis regula iuris impedimento est, quae non patitur quemquam, cum alterius iniuria et damno, illa ad se pertrahere, quae aliis iure perfecto iam dum tributa et assignata




LIV DE ADOPTIONE IN LOCVM FRATRIS

esse uideantur. Hoc certe disputatione non indiget, quod filius fratrem adoptiuum patri suo, tanquam filium, obtrudere nequeat, ne patri inuito heres aduascatur. Est eiusmodi species apud *QVINCTILIANVM*,<sup>a</sup> in qua pater filium domo expulit, quia amicitiam iunxerat cum filio uicini, cui pater inimicus erat: ut appareat, inuito patre, neminem in domum et familiam recipiendum esse

EXTREMO praeterire non possum, quod ne princeps quidem adoptiones imperfectas facile confirmet, nisi causa cognita, l. 39. *D. de Adopt.* et auditis illis, qui laedi possent per adoptionem. Ceterum in causae cognitione etiam uersabitur, utrum honesta sit, ne TURPITUDO quaedam, fororum inprimis nomine, tegatur, sed quae sit illa turpitude supra §. V. tetigimus. Ita quidem DE ADOPTIONE IN LOCVM

FRATRIS habendum est

a) *Quinctilianus Declam. VIII*



NOBI-



NOBILISSIMO ATQVE ORNATISSIMO

STEMPELIO SVO

S. P. D


P R A E S E S



Non solum magna gratulatione, sed etiam  
uera laude dignus es, OPTIME STEM-  
PELI. Mirifice me semper in TE mo-  
uit liberalis illa et erecta indoles, quam  
TIBI natura tribuit, et quae TE humi serpere non  
passa est, sed studium uirtutis et doctrinae in TE  
accendit. TV quidem certe ad naturae dotes, in-  
dustriam, uitae honestatem, morum elegantiam et  
facilitatem, studium bene de omnibus merendi,  
adiun-



adiunxisti; ex quibus rebus tam ueri perficien-  
tia, qua uteris, quam gratia illa enata est, quae  
bonis omnibus TE, cum insigni laude TVA, et-  
iam atque etiam commendat. Publice interest,  
in tanta raritate bonarum mentium, praeclara et  
proba ingenia non occultari, uerum praedicari, et  
produci in apricam lucem. Neque dubito, quin  
laudem ingenii et eruditionis, etiam hoc specimine,  
quod ad disputandum proponis, inuenturus sis,  
Deumque immortalem obtestor, ut omnium illa-  
rum rerum copia TE abundare iubeat, quae perti-  
neant ad rem feliciter perficiendam. Dab. Vitem-  
bergae ipsis Kalendis Octobr. Anno, quam Salus  
parta est, cIo ccc xxxviii





Wittenberg, Diss, 1748/49

ULB Halle  
003 345 947




3

TH → a









B.I.G.

Farbkarte #13

*Cell. de adoptione in locum fratris non monstruosa.*

5  
1748 29/8

OBSERVATIONES  
DE  
ADOPTIONE  
IN LOCVM FRATRIS  
NON MONSTROSA

AD L. LVIII. §. I. D. DE HERED. INSTIT.

QVAS  
PRAESIDE  
CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIO ICTO  
POTENTISSIMI REGIS POL. ET PRINC. ELECT. SAX  
CONSILIARIO AVLICO DIGEST. VET. P.P. ORDINARIO  
CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS  
ITEMQVE ORDINIS IVRIDICI  
ASSESSORE

IN AVDITORIO ICTORVM  
AD DIEM SEPTEMBRIS  
A. Q. S. P. EST MDCCXXXVIII  
DEFENDET  
CHRISTIANVS AVGVSTVS STEMPEL  
BVDISSA LVSATVS

VITEMBERGAE  
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA  
1755

(7)

